






*W. H. Albert Nr. 405*

- 1) Piscator, J.
- 2) Jrminis, Fr.
- 3) Tosanus, Dan.

M.V.59.







APOCALYPSIS

S. IOANNIS  
APOSTOLI ET  
EVANGELISTÆ,

*METHODICA ANALYSI AR-  
gumentorum, notisque breuibus ad rerum intelli-  
gentiam & Catholicæ ac Christianæ Ecclesiæ hi-  
storiam pertinentibus illustrata*

Per

FRANCISCVM IVNIUM BITVRIGEM,  
S. Theologiæ D. ac Professore in Academia  
Heidelbergensi.



HEIDELBERGÆ,  
MDCCLXXII

4. 2.





APOCALYPTIS

S. IOANNIS

APOSTOLICI

EVANGELIISTE

METRODIO ANASTASIO

...  
...  
...  
...  
...

FRANCISCVM IVINVM BITVRIGEM

...  
...  
...



HEIDELBERG

MDCCCLXX





NOBILI VIRO,  
OTHONI GRYNRADIO,  
FRANCISCVS IVNIVS  
S. P.



*Eritos inferendi, Grynradī nobilissime, & inoculandi agricolās natura docuit taleas in truncum inditas muniri argilla stramento intrita, aut paleato luto oportere, donec iustum robur planta ceperit, ne quā celi iniuriā capere possit detrimentū. Idem in sua illa agricolatione Deus, omnis sapientiæ bonæq; donationis auctor, summā misericordia in totū humanū genus omni tempore procuravit. Nam & succum illum vitale intus lectissimis plantis suis ad diuturnitatē ac potius eternitatem indidit, tamquam regentis verbo potente suo: & plantatas in Christo aduersus iniurias foris aduēturas eiusdem verbi sui tegmine premuniuit. Sic prisca illa Iudæorū Ecclesia olim per sanctissimum Dei seruum Danielelem, Prophetam fidelissimum, aduersus tyrannorū, qui venturi erant, & pseudoprophetarum violentiam fraudesque fuit cōfirmata: & hæc quoque nostrā inde a priore aduentu Christi, in ex-*



P R Æ F A T I O.

*ſpectatione ſecundi illius & glorioſi aduentus,*  
*per optimos quoſque illius ſeruos, in primis verò*  
*per ſanctiſſimum illum Apoſtolum & Euan-*  
*geliam Ioannem, illum diſcipulum quem dili-*  
*gebat Chriſtus, aduerſus ſimiles aut grauiores*  
*etiam tempeſtates firmamenti ſuis inſtructa*  
*& ſubgrundis quibusdam obtecta eſt, ne perpe-*  
*tua hac quaſi aſpargine incommodorum putre-*  
*ſceret, aut modo quocunq; diſflueret. Hic enim*  
*Apoſtolus planè <sup>θεοπνεύματος</sup> tum a virulentis hæ-*  
*reticorum dentibus roſionibúſq; veritatē per-*  
*ſonæ & doctrine Chriſti, caritatēq; Eccleſiæ*  
*defendit potentiſſimè Euāgelio ſuo, colophonem*  
*( quod aiunt ) imponens ſanctorum atque diui-*  
*norum Euangeliorum perſcriptionibus, tum a*  
*violentiſ crudeliſſimorum hoſtium hypocrita-*  
*rūmq; perfidiſſimorum impreſſionib. Chri-*  
*ſtianam fidem & patientiam ſanctorum hoc li-*  
*bro vindicauit. Hanc verò diuinā ſalutarēq;*  
*providentiam, quā familiariſſimè nobis in*  
*hoc libello expoſitam, inde a principio duobus*  
*modis Satan non deſtitit oppugnare, quā ex*  
*bonorum electorūque mentibus ( ſi poſſet fie-*  
*ri ) euelleret. Nam & in veritatem auctori-*  
*tatēq; libelli huius admolitus eſt plurimum,*  
*& auctoris mentem ( quum vicit obtinuitque*  
*libri auctoritas ) omnibus modis labefactare*  
*aggreſ;*



P R A E F A T I O .

aggressus est. Quibus, & quàm potentibus  
 machinis, quàm artificiosis & periculosis cuni-  
 culis ad conuellendam auctoritatem abusus sit,  
 viri boni & docti ostenderunt iamdiu. Aucto-  
 ris ἀδελφον, sermonem, stilum, argumentum cau-  
 satus est, & bonorum etiam quorundã abusus  
 opera, ut hoc consiliũ suum peruinceret. Quid?  
 incerti auctoris esse, quod apud septem Eccle-  
 sias, eãsq; nobilissimas totius Asia, fuit de-  
 positum, & religiosa fide ab eis conseruatum?  
 fabula. Quod enim ad unicam Romanorum,  
 Corinthiorum, aliorumq; Ecclesiam perscri-  
 ptum fuit, de eo constat ex unica illius Eccle-  
 sia, ad quam fuerat scriptum, testimonio: quod  
 ad septem Ecclesias, de eo cõtrouertetur (si Deo  
 placet) auctoras. Sermonem σόλοικον qui di-  
 cunt, να ἀγροικον esse ostendunt iudicium suum,  
 qui legibus caelestibus contemperari sermonem  
 nostrum (quoad eius fieri potest) non putent o-  
 portere. Stilum obiiciunt alienũ, nominis præ-  
 dicationem, repetitionem rerum. O rhetoras!  
 qui differentem stilum esse nolunt in differente  
 argumento. Ad illam Ioannis modestiam sta-  
 tuunt pertinere, ut nomen dissimularẽt suum:  
 quasi verò Ioannes in hoc argumento non vi-  
 derit pluris interesse, ut expresso aliquoties no-  
 mine suo fidei huius libri & auctoritati publicæ



P R Æ F A T I O .

( *ut olim Daniel factitabat* ) in posteritatem,  
 quàm ut eo tacito imaginaria huic modestiæ  
 consuleret. Annon æquè modestum Ioannis  
 factum est, quòd se hoc in libro disertis verbis  
 auctorem nominat, ac illud in Euangelio, quòd  
 se capite ultimo declarat periphrasticè? Neutro  
 certè libro a modestiæ aberravit: sed in utroq;  
 fidem publicam auctoritatèmq; scripti sui ex ne-  
 cessitate & bono publico, suum quum adiecit  
 nomen, confirmavit. Repeti idem quod sæpius  
 putant, id partim falsum est, partim, ubicunq;  
 repetitio exstat, necessarium: quod nostra pro-  
 babit interpretatio. Argumentum hoc quanto-  
 pere in Ecclesia Dei fuerit necessarium, in ipso  
 limine ostendimus: & nemo negaturus est, qui  
 purgatis oculis ad historiam Christiana Eccle-  
 siæ respexerit. Quapropter etsi apud nonnullos  
 viros bonos & pios olim nõ est tanta visa huius  
 libelli auctoritas, non possunt iudicia ( *ut vo-  
 cantur* ) particularia fidem rei publicam euer-  
 tere: sed integram eius auctoritatem in catho-  
 lica Ecclesia haberi, credi, predicari, atque ser-  
 uari necesse est. De mente verò & sententia au-  
 ctoris, quid multis opus est? Hic certè, si usquã,  
 verum illud dictum est, quot capita, tot sensus.  
 Sed hoc tantum ignorantis iudiciorumque  
 dissidentium malum partim nobis innatum est  
 exte-



PRÆFATIO.

ex tenebris & infirmitate natura nostra, partimque accumulatum studiis singularibus: quod malum communis ille aduersarius salutis nostrae adauxit plurimum tum sua, tum administratorum suorum opera. Itaque intus infusa mentibus, foris circumfusa ignorationis illius tenebra viros optimos & pietate, doctrina, gratia, arte, auctoritate præstantes, semper deterruerunt fermè, ne quid in hoc genere aut commentarentur ipsi, aut publico saltem committerent. Modestiam laudo: nõ imitor. Quid causæ est? inquires. Exponam paucis, quæ causæ alios ad postulandum, me ad scribendum adduxerit: sic & factum meum probabo (ut spero) bonis, & opinionem leuabo immodestiae. Hoc igitur officium a me aliquot boni postulauerunt, quod me ex diuturna (illorum verbis utor) veteris Testamenti lectione & assidua exercitatione abundare commodis ad declarandam prophetiam hanc testamenti Noui putauerint. Consciens ego tenuitatis meae excusare, auersari, negare serio: illi affectatam modestiam hanc dicere, iudicium suum appellare, inuidiam meam esse hanc apertè criminari. Me autem cum horum flagitatio, tum hæc cogitatio impulit, quod & in congressibus amicorum, & in studiosorum disputationibus (quas domi frequentes



P R Æ F A T I O .

habui) quaedam noui a me pronunciata, & ab auditoribus subnotata fuisse & excepta imprudente me. Video autem quid olim sanctis patribus, quid hoc tempore uiris bonis accidat. Modestè quidem illi cogitata, dicta, & scripta sua inhibuerunt atque suppresserunt: sed eadem campum latissimum alienae immodestiae audaciæq; parauerunt. Nam vixdum elato ipsorum funere scripta, centones, commenta, ut germana auctorum proferuntur, quæ aut illi nunquam pepererunt, aut hi pessimè exceperunt, aut etiam suffarcinant impudentissimè. Indignum factu, & magistratu vindice cõpescendum. Malo ego semel immodestus esse iudicio istorum, quàm ullum immodestum gignere, qui sua studia somniaq; attribuat mihi. De hac interpretatione nihil dicam, nisi quòd esse agnosco meam: idque non gloriandi animo, sed in posteritatem prouidendi, ne quis quid appingat mihi quod ipse finxerit. Veritatem ubicunque possum per Dei gratiam, breuitatem in omnibus spondeo, ne ego in scribendo, aut in legendo boni tempus dicantur perdere. Siqui secus senserint, iis per me liberum est iudicium suum: non enim sententiam, ut iudex, in opus alienum fero: sed meam symbolam, ut *ἐπισημῆς*, confero. Hoc autē opusculum, Grynæadi nobilissime,



P R Æ F A T I O.

*lissime, visum est tibi inscribere, tua causa, pu-  
blica, & mea. Tua; ut quo pietatis studio ser-  
monem iudiciaq; Dei (quorum hic liber the-  
saurus est copiosissimus) soles expendere, de eo  
me tibi scias & sentias, bonis acclamantibus,  
ex animo gratulari. Publica: ut tuum illud  
studium sanctissimum propediem Palatinatui  
Germaniaq; toti & Ecclesiae (spero) profutu-  
rum, hac scriptiois veluti facula sit in omniū  
oculis expositum; quod gloria sit Deo opt. max.  
bonis exemplo, & tibi ornamento. Mea autem:  
quia debeo ornatus a te ornare te, virum  
merito tuo ornatissimum, & Germa-  
niae tuae ornamentum. Vale.*

*Pridie. Kal. Aprileis*

*CIO. IO. XCI.*

(:.) 5



**S Y N O P S I S**  
**Libri Apocalypseos, secundum ordinem capitum partésque**  
**argumentorum illius.**

**T A B V L A I.**

Apocalypseos partes sunt 3	}	Prius ἀρχαίαιον, continens	{	incriptionem καθολικῶν libri, vers. 1. 2. & 3.	}	cap. I.
		Propositio, A.	{	exordium, constans		
	}	Posterius ἀρχαίαιον, sive conclusio, constans	{	cōfirmatione a vers. 6. ad vers. 20. salutatione, in fine	}	cap. ultimi.





T A B V L A I I.

A	Propositio, continens	} Diuisionem argu- menti in summas partes ipsius, in	ea quę sunt	} cap. i. duobus vers. vlt.
			ea quę futura sunt	
	} Enarrationem partium	} eorum quę sunt, di- dascalicam, secundum Ecclesias	Ephesi	} cap. 2.
			Smyrnę	
			Pergami	} cap. 3.
			Thyatirę	
			Sardium	} cap. 3.
			Philadelphię	
			Laodiceę	
		} eorum quę futura sunt, historiam pro- pheticam	communem, de mun- do vniuerso. B.	} singulararem, de Eccle- sia Christi. C.





TABVLA III.

B	Communis historiæ de mundo, partes 2.	τὴ παρασκευαστικῆ, quibus narratur	Ioannis vocatio, reuelationis au- ctoritas	a persona vocantis Dei	Patris, cap. 4.
					Filij, cap. 5.
		τὰ πρᾶγματα, οπε- ra Dei triplicia	malorum quæ mundo euentura sunt, diuinæ	prænunciationes, præsignificationes	cap. 6.
					electorum vindicandorum ab omni malo obfignatio diuina ante prænunciatorum significatorumque ma- lorum complementum, cap. 7.
			exsequutio iudiciorum Dei	in alia, cap. 8. in homines	vexationibus cædibus, cap. 9.





ΤΑΒΥΛΑ ΙΙΙΙ.

Ε Singularis historia  
Ecclesiae continet

τα παρακλυτικη, } Ioannis vocatio,  
quibus narratur } reuelationis aucto- } a persona Filij, cap. 10.  
ritas,

Prophetarum } certantium annos 1260.  
} occisorum post annos 1260. } cap. 11.  
} reuiuiscantium in Ecclesia

τα γεννηθη } corporis Ecclesiae } Iudaicae, oppu- } antepartum  
} gnate a dracone } in partu } cap. 12.  
} Christianae, D } post partum





TABVLA V.

D. Catholicæ Ecclesiæ Christianæ historia continet tria:	}	certamina, quæ gessit in Christo	}	pertulit à bestia	{ septicipite } cap. 13.	
					{ bicipite } cap. 14.	
				predicatione,	} cap. 15.	
				opere,		
				minis, cap. 15.	} cap. 16.	
				iudiciis, cap. 16.		
	}	victoriam a Christo capite ipsius partam	}	de meretrice, cap. 17. & 18.	} cap. 19.	
				de bestia		{ septicipite, } { bicipite, }
				de dracone		{ ante } { post } annos 1000. cap. 20.
		gloriam æternum triumphantis, cap. 21. & principio cap. 22.				





CHRONICA SYNOPSIS  
 APOCALYPSEOS, VEL SE-  
 cundum argumentorum tem-  
 pora.

	Anno Christi
	1
	34
Cap. 12.	67
Cap. 20.	70
Cap. 13. Cap. 11.	97
Cap. 2. & 3.	1073
Cap. 6. & 7.	1217
Cap. 8.	
Cap. 20.	
Cap. 9.	

**E**cclēsiā Iudaeorum parturientem ob-  
 seruat Draco.

Eadem parit, fugit, latet, agente in terris  
 Christo.

Christum ascendentem in caelum Draco  
 persequitur, pugnat, deiicitur.

Ecclesiam Iudaeorum persequitur deiectus  
 Draco.

Ecclesiam Iudaeorum in solitudinem recipitur  
 annos treis & dimidium.

Ea subuersa, Catholicam inuadit Draco.

Draco vincitur ad annos 1000.

Draco bestiam septicipitem & bicipitem  
 excitat, quae Ecclesiam catholicam &  
 Prophetas eius infestant annos 1260.  
 a passione Christi.

Ecclesiae instituuntur sub finem Domitiani  
 de rebus presentibus: praemonenturque  
 de persecutione per Traianum futura  
 decennium.

Deus verbo & signis prouocat mundum,  
 obsignat bonos.

In creaturas omnes, homine excepto, sta-  
 tuit irae suae documenta.

Draco soluitur post annos 1000. furente  
 contra Henricum III. Caesarem Gre-  
 gorio VII. Pontifice.

Draco malis vexat mundum annos 150.  
 usque ad Gregorium IX. qui Decretales  
 conscripsit, & atrocissime infestauit  
 Fridericum II. Caesarem.

Draco per utramque bestiam persequitur  
 Ecclesiam, & morte afficit pios.

Draco



Cap. 11. & 13.	Draco Prophetas exstinguit post annum 1295 1260. Bonifacio VIII. Pontifice, auctore Sexti Decretalium, qui excommunica- uit Philippum Pulcrum Franc. regem.	1295
	Primum Iubileum celebrat Bonifacius gra- tulatorium.	1300
Cap. 11.	Tremotus maximus, quo plurima urbis edificia diruta.	1301
	Prophetia aboletur triennium cum dimi- dio, donec Bonifacio VIII. Benedictus II. successisset.	1309
	Prophetia renouiscit.	
Cap. 13.	Prophetiam draco & bestie oppugnant.	
Cap. 14.	Christus Ecclesiam propugnat: verbo, opere,	
Cap. 15.	Minis armatis,	
Cap. 16.	Iudiciis singularibus.	
Cap. 17. & 18.	Victoriam Christus Ecclesie tribuit de me- retrice:	
Cap. 19.	de bestiis duabus, septicipite & bicipite:	
Cap. 20.	de dracone & morte.	
Cap. 21. & 22.	Ecclesia plenè glorificatur in celis aeterna gloria in Christo Iesu.	

S. IOHAN-







S. IOHANNIS APOSTOLI  
ET EVANGELISTÆ  
APOCALYPSIS.

CAPVT PRIMVM.

*1* Indicat doctrinæ genus quod hîc tractatur: 8 nempe illius qui est principium & finis: 12 Deinde septem candelabrorum & stellarum 20 mysterium explicat.

BEZÆ INTERPRET.

<sup>1a</sup> **A**POCALYPSIS<sup>b</sup> Iesu Christi, quam dedit ipsi Deus vt indicaret seruis suis quæ oporteat fieri citò: is verò missam per Angelum suum, seruo suo Iohanni significauit:

2 Qui testificatus est sermonem Dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcumque vidit.

3 Beatus qui legit, & *beati* qui audiunt verba prophetiæ huius, & obseruant ea quæ in ea scripta sunt. tempus enim propè est.

4<sup>2</sup> Iohannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia: Gratia sit vobis & pax à <sup>c</sup> Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est: & à <sup>d</sup> septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt:

5 Et à Iesu Christo, <sup>s</sup> qui est fidus ille restis, primogenitus, ac princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem suum:

6 Et qui fecit nos reges & Sacerdotes

A



Deo & Patri suo: ei *fit* gloria & robur in secula seculorum. Amen.

7 Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: & plangent coram eo <sup>c</sup> omnes tribus terræ: etiam, amen.

8 <sup>6</sup> Ego sum <sup>f</sup> α & ω, *id est* principium & finis, dicit Dominus, *id est*, Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est, ille inquam omnipotens.

9 <sup>7</sup> Ego Iohannes, *qui & frater vester sum,* & socius in afflictione & in regno & in tolerātia Iesu Christi, eram in insula quæ vocatur *g* Patmos, propter sermonem Dei & testimonium Iesu Christi:

10 Fui autem <sup>h</sup> Spiritu correptus die <sup>i</sup> Dominico, & audiui à tergo vocem magnam tamquam tubæ,

11 Dicentis, Ego sum α & ω. primus ille & ultimus. & Quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Ephesi, & Smyrnæ, & Pergami, & Thyatiræ, & Sardibus, & Philadelphia, & Laodicea.

12 <sup>8</sup> Conuerti me igitur vt <sup>k</sup> viderem vocē quæ loquuta erat mecum. <sup>9</sup> Conuersus autem vidi septem candelabra aurea.

13 Et in medio septem candelabrorum aureorum *quemdam* similem Filio hominis, indutum talari veste, & præcinctum ad mamillas zona aurea.

14 Caput autem eius & capilli erant candidi vt lana alba tamquā nix: & oculi eius vt flamma ignis.

15 Pedes



15 Pedes autem eius similes chalcobano, veluti in fornace ardentes: & vox illius tamquã vox aquarum multarum.

16 Habebat autem in dextra sua stellas septem: & ex ore eius anceps romphæa acuta prodibat: & facies ejus qualis sol in suo vigore lucet.

17 <sup>10</sup> Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes eius veluti mortuus. <sup>11</sup> tum impoluit mihi dextram suam, dicens mihi, Ne metue: <sup>12</sup> ego sum primus ille & vltimus ille:

18 Et qui viuo, sed sui mortuus, & ecce viuo in secula seculorum. amen. & habeo claues inferorum & mortis.

19 <sup>13</sup> Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ posthæc sunt futura.

20 <sup>14</sup> Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextra mea, & septem candelabra aurea. Septem illæ stellæ, <sup>1</sup> Angeli sunt septem Ecclesiarum: & candelabra illa septem quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput primum.

1 *Huius capituli summa partes due. ἡ ἀρχὴ καὶ ἡ ἐπιτομή, inscriptio vicem fungens exordij, & narratio antecedens vniuersam prophetiam libri. Inscriptio duplex, generalis, & particularis. Generalis inscriptio genus, auctorem, finem, materiam, instrumenta, modumque communicationis, vers. 1. fidem religiosissimam, Apostoli, ut testis pu-*

A 2



4 A P O C A L Y P S E O S

blici, vers. 2. & usum communicationis illius comprehendit ex promissione Dei, & temporis circumstantia, vers. 3.

2 Particularis inscriptio sine singularis; qua salus dicitur certis Ecclesiis catholicam Ecclesiam figurantibus, & salutis fides veritasque ab auctore illius demonstratur, ad versum 8. usque.

3 id est Deo Patre, aeterno, immortali, & immutabili: cuius immutabilitas ab Ioanne Ἀγὸς ἁπλότου, vel forma indeclinabili ostenditur. Nihil enim hic ὁλοικον, ubi verba mysteriis contemperari, non mysteria verbis corrumpi aut minui necesse est.

4 Spiritu sancto, procedente a Patre & Filio; qui Spiritus persona quidem una est secundum subsistentiam, sed communicatione virtutis suae operumque; diuinorum demonstratione in septem illas Ecclesias ita se perfecte aperit, ut si totidem essent spiritus perfecte in sua quisque Ecclesia operantes. Quapropter infra 5. 6. septem cornua & oculi dicuntur Agni, pro eo quod est, absolutissima virtus & sapientia illius: & cap. 3. 1. Christus habere septem illos Dei spiritus: & cap. 4. 5. septem lampades ardere coram throno eius, quae sunt illi spiritus septem Dei. Haec ita accipi oportere demonstratur his modis. Nam primum gratia & pax ab eo petitur, quod opus diuinum est, & secundum gradum diuinae maiestatis plane incommunicabilis actio: tum inter Patrem & Filium recensetur, velut in eodem gradu dignitatis & operationis positus: praeterea ante thronum est tamquam ὁμοῶσι, ut septem oculi & cornua Agni: item nusquam hi spiritus Deum leguntur adorare, ut omnes alij: haec illa denique virtus est qua Agnus aperuit librum, septemque sigilla eius resignauit, quum



quum nemo dignus in rebus creatis inuentus esset a quo aperiretur liber, infra 5. De his ad me scitè Oxonia Joannes Luidus olim. Præponitur autem spiritus sanctus Christo, quia longiorem de Christo sermonem haberi in sequentibus oportebat.

5 Multiplex Christi commendatio, atque grauissima: primùm ab officio, sacerdotio, regno: secundo a beneficiis, amore nostri, & lotionem per sanguinem eius, hoc vers. & regni sui sacerdotiūq; communicatione: tertio a gloria potentiāq; eterna illius, eternumq; a nobis prædicanda, vers. 6. postremo a complemento rerum omnium tandem per ipsum exhibendo in secundo aduentu eius, quo impios desolaturus palam, & pios consolaturus est in veritate, vers. 7.

6 Confirmatio salutis præcedentis a Dei ipsius verbis: qua suā operationē in res creatas singulas, eternitatē immutabilem in sese, & in omnibus suam omnipotentiam asserit, & illam trinitatem personarum quæ antè dicta est, diuinitus concludit essentiæ suæ unitate.

7 Προδηγῆσις, seu narratio præmia ad auctoritatem & vocationem Apostoli Joannis in singulari hac reuelatione exponendam, fidemq; faciendam huic Prophetiæ. Secūda pars capituli, propositione & expositione constans. Propositione autem ostenditur primùm quis, quo loco, quid agens ad hanc reuelationem vocatus fuerit, vers. 9. deinde quo tempore, & quibus modis, nempe spiritu & verbo; idq; die Dominico, qui dies inde a resurrectione Domini fuit Christianis ad religionem sabbathi, id est, quietis consecratus, vers. 10. tertio qui auctor vocans, & quæ vocationis summa, vers. 11.

8 Expositio declarans tertium proximumq; propositionis locum (nam priores loci habent euidentiam)



qua primū de auctore ad versum 16. tum de vocatione ad finem cap. agitur. Ac primū quidem occasio hoc versu traditur, quod Joannes eō versus sese conuertisset; post verò auctoris descriptio, sequentibus.

9 Descriptio auctoris, nimirum Christi: tum a circumstantibus candelabris, id est, Ecclesiis stantibus coram ipso & pendentibus a nutu ipsius, hoc vers. tum a proprietatibus, quod homo sapientia & commoditate ad res agendas, vers. 13. senili gravitate, & acie oculorum præstantissima, vers. 14. viribus inuictis, & verbo potente instructus est, vers. 15. tum ab operationibus, quod seruatorum suorum ministerium in Ecclesia regit, gladio verbi perficit, & vultu suo collustrans omnia potentissime singulis prospicit diuina prouidentia sua, vers. 16.

10 Religiosus metus vocationi sanctorū præuius, & confirmationi iuste ad suscipiendā vocationem Dei.

11 Confirmatio diuina in vocatione, partim signo partimq; verbo virtutis.

12 Descriptio vocationis elegatissima tribus rebus comprehensa ad vocationem iustam necessariis: primū auctoritate vocantis, quod principium sit ac finis rerum omnium, hoc vers. quod æternus, & omnipotens, vers. 18. secundo summa vocationis & reuelationis prophetica, vers. 16. postremo declaratione obiecti cui hæc prophetia iussis Dei inscribitur, vers. ultimo.

13 Summa prophetia, perscribi ab Apostolo oportere quæcumq; viderit, nihil addi aut minui, ut vers. 2. Partes autem duæ: vna est narratio eorum quæ sunt, id est, quæ iam tum erant, cap. 2. & 3. altera eorum quæ futura erant, reliquo libro.

14 res mysticè significata illis antecedentibus.

BEZÆ



## BEZÆ ET ALIORVM.

*a* Rerum occultarum patefactio. *b* Quā Filius è sinu Patris nobis per Angelos reuelauit. *c* Iehoua nomen quod proprium est, præteriti præsentis & futuri temporis notatione significatur. *d* Hi sunt Spiritus qui infra, s. 6. Agni cornua & oculi dicuntur: eos autem adiungit Deo tamquam stipatores. *e* Omnes homines. *f* Ego is sum ante quem nihil est, imò per quem factum est quicquid factum est, quiq; vt omnia intereant, superstes illis omnibus maneam. *g* Patmos vna est Sporadum, in qua exulasse Iohannes perhibetur. *h* Hic explicatur sanctus ille enthusiasmus, quo Prophetæ correpti extra mundum peregrinabantur cum domino: sic Ezechiel sæpe dicit se translatum fuisse à Domini Spiritu, & Spiritum Domini in se incidisse. *i* Dominicam vocat diem quem Paulus primum hebdomados vocat, 1. Cor. 16. 2. *k* Vt cum viderem cuius vocem audieram. *l* Angelorum nomine Ecclesiarum ministros intelligit.

## CAPVT SECVNDVM.

*1* Iubetur Iohannes scribere quæ Dominus necessaria nouerat Ecclesiis *2* Ephesiorum, *3* Smyrnenensium, *4* Pergamenorum, *5* Thyatirensium, *6* vt quæ ab Apostolis acceperunt, teneant.

*1* Angelo Ephesinæ Ecclesiæ, *2* Hæc dicit qui tenet septem illas stellas in dextra sua, qui ambulat inter septem illa candelabra aurea:

*2* *3* Noui opera tua, & laborem tuum & tolerantiam tuam, & quòd non possis ferre malos: & exploraris eos qui se dicunt Apostolos esse, & nò sunt, & comperisti eos esse mendaces.

*3* Et onere pressus fuisti, & sustines: & propter nomen meum laborasti, & non es defatigatus.

*4* Sed habeo aliquid *a* aduersum te, quòd charitatem tuam primam omiseris.



5 Memor esto itaque vnde excideris, & resipisce, & priora opera facito: sin minus, veniam aduersum te cito, & mouebo candela-  
brum tuum à loco suo, nisi resipueris.

6 Sed hoc habes quòd odisti facta Nicolai-  
tarum, quæ & ego odi.

7 <sup>4</sup> Qui habet aurè, audiat quid Spiritus di-  
cat Ecclesiis. victori dabo edere ex arbore illa  
vitæ quæ est in medio b paradisi Dei.

8 <sup>6</sup> Angelo verò c Smyrnæorum Ecclesiæ  
scribe, Hæc dixit primus ille & vltimus, qui  
fuit mortuus, & viuit:

9 <sup>7</sup> Noui opera tua & afflictionem & pau-  
pertatem, (sed diues es) & blasphemiam eo-  
rum qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed  
synagoga Satanæ.

10 Nihil eorum metue quæ passurus es: ec-  
ce, futurū est vt coniciat diabolus al: quos ex  
vobis in carcerem, ut exploremini: & habebi-  
tis afflictionem <sup>8</sup> dierum decem. esto fidelis vs-  
que ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11 <sup>9</sup> Qui habet aurem, audiat quid Spiritus  
dicat Ecclesiis, Qui vicerit, nequaquam læde-  
tur à <sup>10</sup> morte secunda.

12 Angelo vero <sup>d</sup> Pergamensis Ecclesiæ  
scribe, Hæc dicit qui habet gladium illum an-  
cipitem, acutum illum:

13 <sup>12</sup> Noui opera tua, & vbi habites, *nempe*  
vbi thronus est Satanæ, & quòd teneas nomen  
meum, neque negasti fidem meam, <sup>e</sup> etiam iis  
diebus quibus Antipas martyr ille meus fidelis  
trucidatus est apud vos, vbi Satanus habitat.

14 Sed



14 Sed habeo aduersum te pauca, quod habeas istic qui teneant doctrinam Balaam, qui docebat Balacum obiicere offendiculum coram filiis Israelis, ut <sup>f</sup>ederent ex iis quæ simulacris erant immolata, & *ut* scortarentur.

15 Ita habes etiam tu qui teneant doctrinam <sup>13</sup> Nicolaitarum: quod odi.

16 Resipisce: sin minus, veniam aduersum te cito & pugnabo cum illis gladio illo oris mei.

17 <sup>14</sup> Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Ei qui vicerit, tribuam ut edat ex <sup>8</sup> Manna illo <sup>15</sup> abscondito: & dabo illi <sup>h</sup> calculum <sup>16</sup> album, & in calculo <sup>17</sup> nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.

18 <sup>18</sup> Angelo vero Thyatirensis Ecclesie scribe, Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & cuius pedes *sunt* similes chalcobano:

19 <sup>19</sup> Noui opera tua & charitatem, & <sup>i</sup> subministrationem, & fidem, & tolerantiam tuam, & opera tua, & vltima plura prioribus.

20 Sed habeo aduersus te pauca: quod permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit prophetissâ, docere & seducere seruos meos, ut <sup>k</sup> scortentur, & edant ex iis quæ simulacris immolantur.

21 Et dedi illi tempus ut resipisceret à scortatione sua: sed non resipuit.

22 Ecce, ego abiiciam eam in lectum: & eos qui adulterium committunt cum ea, in afflictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis.

23 Et filios eius <sup>l</sup> interficiam morte: sci-



entque omnes Ecclesiæ me esse scrutatorem  
renum & cordiū: & dabo vnicuique vestrum  
secundum opera vestra.

24 Vobis autē dico & reliquis Thyatiren-  
sibus, quicumque nō tenetis doctrinam hanc,  
& qui non approbastis<sup>m</sup> profunditates Sata-  
næ, vt aiunt: <sup>n</sup> non imponam vobis aliud onus.

25 Tamen id quod habetis, tenete quous-  
que veniam.

26 <sup>20</sup> Nam si quis vicerit, & obseruauerit ad  
finem vsque opera mea, <sup>21</sup> dabo ei potestatem  
in Gentes:

27 Et reget eas virga ferrea: & tamquam  
vasa fictilia conterentur, sicut & ego accepi à  
Patre meo:

28 Et dabo ei <sup>22</sup> stellam matutinam.

29 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus  
dicat Ecclesiis.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput secundum.

I Prior hæc pars libri, narratione eorum quæ iam  
num erant cōcluditur, vt Ioannes docuit supra, 1. 19. to-  
ta est vsq̄ Ieruz̄, & duobus hisce capitibus locos septem  
cōtinet pro numero & conditione earum Ecclesiarum,  
quæ nominate fuerunt supra capitis 1. vers. 11. figurate  
v. 12. & distributa conuenientissimè in Pastores & gre-  
ges, vers. 20. qui versus ad hanc partē est μετὰ βατιρός.  
Singularis autem locis tres summe sunt partes: Exordium,  
a persona auctoris: Propositio, in qua boni laus & præ-  
dicatio, mali reprehensio, & institutio hortationem  
continens, aut etiam contrariam ei dehortationem: &

Con-



Conclusio attentionem excitans diuinis planè promissionibus. Atque hic primus locus, ad Pastores Ecclesie Ephesinae.

2 Exordium, in quo Iesu Christi auctoris ellogia ex vers. 16. & 13. capitis 1.

3 Propositio laudis, vers. 2. & 3. reprehensionis, vers. 4. & institutionis, adiuncta comminatione transportanda alio Ecclesie, vers. 5. Hanc verò comminationem Christus  $\text{Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἀληθινὸς Θεὸς}$  & lenit quasi correctione quadam, quum singulare bonum pietatemq; illius Ecclesie recordatur, cui pietati nunquam non retribuit Deus, vers. 6. De Nicolaitis autem videndum infra in versum 15.

4 Conclusio, mandatum attentionis, & promissionem vite aeternae continens symbolo figurata, de quo Genes. 2.

5 id est, in paradiso. Hebraismus.

6 Secundus locus, ad Pastores Smyrnaeos. Exordium autem sumtum est ex vers. 17. & 18. capitis praecedentis.

7 Propositio laudis, hoc vers. & hortationis cum promissione iuncta, vers. seq.

8 id est, annorum decem. Sic enim plurimum hoc in libro, ut etiam apud Daniele annis dierum appellatione designantur, ut definitum sibi spatium, idq; perbreue, ostendat Deus. Cum autem hunc librum Iohannes sub finem Domitiani scripserit Iustino & Irenaeo testibus, omnino haec ad persecutionem referri necesse est Traiano auctore factam. Caepit autem ille Christianam Ecclesiam infestare decimo anno sui imperii, ut scribunt historici: durauitq; persecutio cruenta huius, donec Adrianus Caesar successisset in locum ipsius, id



autem spatium est precisè annorum decem, qui hinc positi sunt.

9 Conclusio, ut supra vers. 7.

10 Vide infra, 20 .6.

11 Tertius locus, ad pastores Pergamensium. Exordium autem ductum est ex versu 16. cap. precedentis.

12 Propositio laudis, hoc versu: reprehensionis, duobus seq. & hortationis, adiuncta hypothetica comminatione, vers. 16. Fuit autem Antipas ille Angelus siue Minister Christi in Ecclesia Pergamensium, ut scribit Aretas.

13 nempe sequentium vestigia Balaami, & proiecutorum ad omnem libidinem, ut exposuit precedente vers. & demonstratur hinc particulâ similitudinis. Atque hæc quoque sexti vers. interpretatio. Consulendus hac de re in primis Irenæus.

14 Cōclusio hortatione, ut antè, & promisso cōstās.

15 qui apud Deum ab æterno asseruatus latet, invisibilis, & spiritualis, celestisq; panis vitæ.

16 Symbolum testemq; absolutionis & remissionis peccatorum, iustitiæ, sanctimonia veræ, & puritatis incorruptæ, extincto veteri homine.

17 symbolum & index novitatis vitæ in iustitiâ & sanctimonia veritatis, induto novo homine, quem nemo novit intus nisi spiritus hominis qui est in ipso, cuius laus nō est ex hominibus, sed ex Deo, Rom. 2. 28.

18 Quartus locus, ad Pastores Thyatiræ. Exordium autem depromptum est ex versu 14. & 15. capituli 1.

19 Propositio laudis, hoc versu: reprehensionis, quod illi doctrinā iniustitiæ & impietatis ferrēt apud se, vers. 20. cuius auctores, quāvis a Deo reuocati, minime,



nimè respiscant, vers. 21. adiuncta comminatione gra-  
uissima, vers. 22. & 23. promissionis hypothetica, ex-  
hortationisq; ad veritatē retinendā, duobus sequētibus.

20 Conclusio: qua Christus spondet seruis suis com-  
munionem regni gloriaq; sue, hoc & sequente vers.  
piamq; attentionem imperat, vers. ultimo.

21 id est, efficiam eum regem in communionē mea,  
& coheredem meū: quē admodū promittitur, Matth.  
19. 28. & 25. 34. Rom. 8. 17. & 1. Cor. 6. 3. Ephes. 2. 6.  
& 2. Tim. 2. 12. & infra 3. 21. & 4. 4.

22 Lucem gloriae & honoris summi, luci Christi,  
qui sol iustitiae est & caput nostrum, coniunctissimam.

## BEZÆ ET ALIORVM

a Quod tecum exostulem. b Sic Christus loquitur, nem-  
pe vt mediator. c Smyrna vna fuit Ionicarum ciuitatum in A-  
sia. d Pergamum celeberrimae olim vrbis in Asia nomen, Atta-  
licorum regum sedes. e Amplificatur Pergamensiuū fides, quod  
in ipso persecutionis aestu constantes fuerint. f Quod hic dei-  
dolothytis agit, refertur ad eam speciem de qua agit Paulus 1.  
Cor. 10. 14. g Alludit ad concionem illā quae habetur 6. Iohan.  
& ad locum Psal. 105. 40. h Huiusmodi calculum refert Aretas  
solum dari athleticis in certaminibus. Vel quod calculi albi olim  
essent indicantes absolutionem. i Sic vocat officia sanctis pra-  
stita. k Passim in scriptura nomine scortationis intelligitur ido-  
latria. l Pleonasmus Hebraicus, cuius tamē maxima est em-  
phasis, vt Latine dicimus inter necione delere. m Notat osten-  
tationem aliquorum qui iactarent profundam, id est copiosam  
atque vulgarem scientiam suam, quae tamen esset Satanaica. n  
Aduersum vos nihil grauius denunciabo, contentus vobis signi-  
ficare quid in vobis requiram.

## CAPVT TERTIVM.

I Sequitur epistola quinta ad pastores Eccles. Sar-  
diensium, 7 Philadelphienſium, 14 & Laodicensiuū, 16  
ne tepidi sint, 20 sed gloria Dei promouēda operā dent.



1 Angelo autem Ecclesiæ quæ est <sup>a</sup> Sardibus scribe, Hæc dicit qui habet septem illos Spiritus Dei, & septē illas stellas: <sup>2</sup> Noui opera tua, *nempe* <sup>b</sup> quòd dicaris viuere, sed mortuus sis.

<sup>2</sup> Esto vigilans, & confirma <sup>c</sup> reliqua moribunda: non enim inueni opera tua plena coram Deo.

<sup>3</sup> Memento igitur quæ acceperis & audieris, & obserua *illa*, & resipisce. Quòd si nō vigilaueris, veniam aduersum te tamquam fur, neque intelliges qua hora veniam aduersum te.

<sup>4</sup> Habes *tamen* aliquot capita etiam Sardibus <sup>3</sup> quæ nō inquinarunt vestimenta sua, ideoq; *incedent* mecum <sup>4</sup> albat: <sup>d</sup> digni enim sunt.

<sup>5</sup> Qui vicerit, amicietur vestimentis albis: neque vnquam delebo nomen eius ex libro vitæ, sed agnoscam nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.

<sup>6</sup> Qui habet autem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

<sup>7</sup> Angelo verò Philadelphiensis Ecclesiæ scribe, Hæc dicit Sanctus & verax ille, qui habet <sup>e</sup> clauē Davidis: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:

<sup>8</sup> Noui opera tua: ecce, proposui tibi ostium apertum, nec quisquam potest claudere illud: quia nonnullam habes virtutem, & obseruasti sermonē meū, neque abnegasti nomē meū.

<sup>9</sup> Ecce, <sup>f</sup> præbebo eos qui sunt ex synagoga Satanæ, *id est* eorum qui dicunt se Iudæos esse, nec sunt, sed mentiuntur: ecce, *inquam*, faciãt ipsi veniant & <sup>8</sup> adorēt ante pedes tuos &   
 fiant



sciant quòd ego dilexi te:

10 Quoniam & seruasti sermonē tolerantiae meae, ego quoque te seruabo ex tempore tentationis, quod venturum est in orbem vniuersum, ad explorandos incolas terrae.

11 Ecce, venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

12<sup>o</sup> Qui vicerit, faciam vt is sit columna in tēplo<sup>h</sup> Dei mei: nec foras egredietur amplius: & <sup>io</sup> inscribam ei nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, *id est* nouae Hierusalem, quae descendit e caelo à Deo meo, & nomen meum nouum.

13 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

14<sup>ii</sup> Angelo verò Laodicensium Ecclesiae scribe, Hæc dicit<sup>i</sup> Amen, testis ille fidelis & verax 7<sup>lc</sup> principium opificii Dei:

15<sup>12</sup> Noui opera tua, nempete neque frigidum esse, neque feruidum: vtinam frigidus esses aut feruidus.

16 Itaque, quoniã tepidus es, nec frigidus nec feruidus, futurũ est vt te euomam ex ore meo.

17 Nam dicis, Diues sũ, & ditatus sũ, & nullius egeo: Neque nosti te esse ærumnosũ, & miserabilem, <sup>13</sup> & pauperem, & cæcum, & nudum.

18 Suadeo tibi vt emas à me aurum igni exploratum, vt diues fias: & vestimenta alba, vt induaris, nec appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inungas oculos tuos, vt videas.

19 Ego, quoscunque amo, arguo & castigo. <sup>!</sup> Ferue igitur & resipisce.



20 Ecce, sto ad ostium, & pulso: <sup>14</sup> si quis audierit vocem meam, & aperuerit ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.

21 <sup>15</sup> Qui vicerit, tribuam ei vt sedeat mecum in throno meo, vt & ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus.

22 Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput tertium.

1 Quintus locus, ad pastores Sardios. Exordium autem ex vers. 4. & 16. capitis 1. petitum est.

2 Propositio reprehensionis, hoc vers. exhortationis, adiuncta comminatione, duobus seq. & Ἰτα ἔγγειος per modum correctionis, ad bonorum, qui illic erant reliqui, consolationem vers. 4.

3 id est, qua a peccato, & contagione, ad eorum specie ipsa peccati cauerunt sibi religiosissime, vt hortatur Iudas vers. 23.

4 Puri ab omni labe, splendentesq; gloria, synecdochicè. sic deinceps passim, vt proxime sequente vers.

5 Conclusio, ex promissione, & mandato constans: vt ante.

6 Sextus locus, ad pastores Philadelphienses. Exordium ex vers. 18. capitis 1. petitum est.

7 Propositio laudis, hoc vers. promissionum de reducendis errantibus, vers. 9. & piis conseruandis, vers 10. hortationisq; vers. 11.

8 id est procidant adorantes siue te civiliter, siue  
Chri-



Christum religiosè ante pedes tuos ( atque hoc malim, ut Psal. 99. 5. ) siue hic in Ecclesia ( quod magis ad argumentum videtur pertinere ) siue illic in futuro seculo. Nam omnino completurus est Christus sermonem suum.

9 Conclusio, promissionem & mandatũ continēs.

10 id est, nouus homo a Patre, matre, & capite suo Christo denominabitur.

11 Septimus locus, ad Laodicenses pastores. Exordium desumptum est ex vers. 5. cap. 1.

12 Propositio reprehensionis, hoc vers. adiuncta comminatione, vers. 16. & confirmatione exegetica illius, vers. 17. hortationisq; ad fidem & resipiscentiam, vers. 18. & 19. adiuncta promissione hypothetica, vers. 20.

13 Miseria spiritualis hominum tribus attributis metaphoricè exprimitur: quibus ex-aduerso respondent illa remedia quæ exhibentur sequente vers.

14 Allegoricè, ut Ioan. 14. 23.

15 Conclusio, ex promissione, ut supra 2. 26. & hortatione constans. Haftenus prior pars libri Apocalypseos.

## BEZÆ ET ALIORVM.

a Sardis florentissimæ & celeberrimæ vrbis nomen, Lydorum regis sedes. b Nomine viuus, sed reuera es mortuus. c Cætera, quorum ea est conditio, ut iam laborent, mox nisi confirmentur, interitura. d Idonei scilicet, quia in Christo iustificati fuerunt, quod reipsa comprobarunt: iustus enim est qui iustitiam facit, sed ita ut arbor fructum gignat. Vide Rom. 8. 18. e Potestatem omnem gubernationis, iubendo & vetando & expediendo ac coercendo. Est autem domus Dauid Ecclesia, regni autem Dauidici promissio perpetua, ad Christum pertinet. f In eum statum redigam. g Quia patientiam illam & constantiam præstitisti, quam à meis requiro. h Vide sup. 27. i Amen Hebræis verè seu veritatem ipsam significat. k A quo principium ducunt omnes res conditæ. l Zelus opponitur iis qui nec calidi nec frigidi.

B



## CAPVT QVARTVM.

1 *Alia narratur visio* 3 *diuina maiestatis*  
*gloriam continens:* 8 *quæ à quatuor animalibus,*  
 10 *& vigintiquatuor senioribus celebratur.*

1 **P**ostea vidi, & ecce, ostium erat apertū in  
 cælo: & vox prima quam audiuerā tam-  
 quam tubæ loquentis mecū, dicebat, Ascende  
 huc, & ostendā tibi quæ oporteat fieri posthac.

2 2 Statim igitur fui<sup>a</sup> correptus spiritu: 3 &  
 ecce thronus positus erat in cælo: & *quidam*  
 throno infidebat.

3 4 Is autem qui sedebat, aspectu similis erat  
 lapidi iaspidi & sardio: & in circuitu throni e-  
 rat iris aspectu similis smaragdo.

4 5 Et in circuitu throni erant throni vi-  
 ginti quatuor: & super eos thronos vidi vigin-  
 tiquatuor Seniores sedentes, amictos vestibus  
 albis, & habentes impositas capitibus suis co-  
 ronas aureas.

5 6 Prodebant autem ex illo throno fulgura  
 & tonitrua & voces: & septē lampades igneæ  
 ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiri-  
 tus Dei.

6 7 Erat etiam ante thronum mare vitreum  
 simile crystallo: & inter thronum & quæ thro-  
 num ambiebant, quatuor animalia plena ocu-  
 lis antè & retrò.

7 Animal autem primum erat simile leoni,  
 & secundum animal simile vitulo, & tertium  
 animal habens faciem velut homo, & quartum  
 animal simile aquilæ volanti.

8 Et



8 Et <sup>b</sup> quatuor animalia singula per se habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis, & die ac nocte sine intermissione dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus ille omnipotens, Erat, & Est, & Venturus est.

9 Et quum <sup>c</sup> tribuebant illa animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem ei qui throno insidebat, illi, *inquam*, viuenti in secula seculorum,

10 Procidebant vigintiquatuor illi Seniores ante illū insidentem throno, & adorabant illum viuentem in secula seculorum, & abiiciebant coronas suas ante thonum, dicentes,

11 Dignus es Domine, qui <sup>1</sup> accipias gloriam & honorem & virtutem: quia tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.

## FRANC. IUNII NOTÆ,

## In Caput quartum.

1 Sequitur deinceps pars secunda libri, tota argumento *ὅτι φησὶν* eorum que futura erant, ut dictum est supra 1. 19. Hæc autem in duas historias distinguitur: unam, communem totius mundi, ad caput 9. vsque: alteram, singularem Ecclesie Dei, ad caput 22. vsque. atque hæc historia singulis libris descripta fuisse dicuntur, cap. 5. & 10. Primus vero hic versus a precedente ad secundam hanc partem est *μετὰ βαλῶς* sine transitiuus: ubi apertum calum, id est, res caelestes referate dicuntur, & vox tamquam tubæ clausisse è celo que Apostolum excitaret, & ad rerum futurarū com-



prehensionem aduocaret. Tum prioris historiae partes sunt duae: quarum una est de causis factorum & totius reuelationis, hoc & seq. cap. altera, de factis, quatuor sequentibus. Caesarum autem principalium secundum distinctionem personarum in unitate essentiae Dei, & secundum οἰκονομίαου vel dispensationem eius, duo sunt loci: vnus, de principio, quod est ἄβατος siue inaccessum, Deus Pater, de quo hoc cap. alter, de Filio; ut causa mediante & ad accessum facili, quae est Ἰεσοῦς ἰωαννης, cap. sequenti.

2 Modus reuelationis, ut supra 1. 10.

3 Dei Patris & gloriae illius in caelis descriptio, facta κατὰ ἄνωθρον, ab officio, natura, circumstante corona, effectis, instrumentis, & euentis consequentibus. Est autem hoc vers. officio index, ut Abraham dicebat Genes. 18. quod & throno velut iudiciali symbolo, & sessione in throno ostenditur.

4 A natura: quod Pater est tum in persona sua gloriosissimus, tum gloria sua circumfundens cetera.

5 A circumstante corona: quod summus ille iudex comitatu honorificentissimo instructus est Prophetarum & Apostolorum (quos sacerdotes & Reges effecit Christus, supra 1. 6.) Ecclesiae veteris & nouae.

6 Ab effectis: quod & potentissime percellit omnia voce & sermone suo, ut Psal. 29. & luce Spiritus prouidentiaq; sua perlustrat & peruadit ea.

7 Ab instrumentis: quod & thesaurum habet paratissimum, & quandam velut officinam instructissimam rebus omnibus ad prestandam voluntatem suam, fluentibus ex mandato ipsius, ut repetitur infra 15. 2. & Angelos habet decretorum placitorumq; suorum

admi-



administratos ad omneis mundi partes paratissimos, per-  
uigilesq<sup>3</sup>, hoc vers. cum ratione agentes contraquam in-  
strumenta inanima (de quibus proximè) generosos ut  
leones, fortes ut tauros, prudentes ut homines, velocis-  
simos ut aquilas, vers. 7. commodissimos ad omnia ut  
alis in partem quamlibet preditos, & perspicacissimos,  
formas denique puras in actu continuo versanteis, v. 8.

8 Ab euentis: quod omnibus illis nominibus glo-  
rificatur Deus, tum ab Angelis, ut sanctus, iudex,  
omnipotens, eternus, & immutabilis, v. 8. tum Ange-  
lorum exemplo, a sanctis hominibus, v. 9. signo, & ser-  
mone, v. 10. & 11.

9 Signa tria honoris diuini Deo exhibiti, procli-  
natio, adoratio, & coronarum abiectio coram Deo; qua  
pii sese, quamuis reges a Christo facti, exinaniunt ultro,  
affecti religione maiestatis Dei.

10 Sermonis summa, cedi omnem gloriam Deo o-  
portere: ratio, quia principium aternū est rerum omni-  
um, a cuius voluntate solā sunt, regunturq<sup>3</sup>, denique  
omnino sunt quod sunt. Atque hactenus causa princi-  
palis inaccessa, Deus.

11 id est, tibi soli vindices: nos verò indigni qui par-  
cipemus hanc gloriam beneficio tuo.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Vide sup. 1. 10. <sup>b</sup> Vnumquodque animalium habebat a-  
las fenas. <sup>c</sup> Dicitur dari Deo gloria, honor, regnum & cetera  
huiusmodi, quum celebratur pia prædicatione id quod ipsius est  
proprium.

## CAPVT QVINTVM.

1 Liber septem sigillis obsignatus, 3 quem nemo

B 3



*aperire poterat: 6 Agnus ille Dei, 9 dignus qui ipsum aperiat, 12 omnium celestium voce decantatur.*

**1** **D**Einde vidi <sup>2</sup> ad dextram eius qui insidebat throno <sup>3</sup> librum scriptum intus & à tergo, obsignatum sigillis septem.

<sup>2</sup> Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna, Quis est dignus qui aperiat librū, & soluat eius sigilla?

<sup>3</sup> Nemo autem poterat <sup>4</sup> neque in cælo, neque in terra, neque subter terram, aperire librum, neque eum inspicere.

<sup>4</sup> Flebam igitur ego multum, quod nemo dignus inuentus esset qui aperiret & legeret librum, nec qui eum inspiceret.

<sup>5</sup> Tum vnus ex Senioribus illis dicit mihi, Ne fletis: ecce, <sup>a</sup> vicit <sup>6</sup> Leo ille ex tribu Iuda, stirps illa Davidis, vt aperiat librum, & soluat septem eius sigilla.

<sup>6</sup> Aspexi igitur, & ecce <sup>7</sup> inter thronum & quatuor illa animalia & inter Seniores illos, Agnus stans tamquam mactatus, habens cornua & oculos septem, qui sunt septem illi Spiritus Dei emissi in omnem terram.

<sup>7</sup> Is venit & accepit librum ex dextra illius throno insidentis.

<sup>8</sup> Quumque accepisset librum, quatuor illa animalia & viginti quatuor illi Seniores prociderunt coram Agno, habentes singuli <sup>10</sup> citharas & phialas aureas plenas suffituum, quæ sunt <sup>b</sup> preces sanctorum.

<sup>9</sup> Et cecinerunt canticum <sup>11</sup> <sup>c</sup> nouum, dicentes,



centes, <sup>12</sup> Dignus es qui accipias librum, & aperias eius sigilla: quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione:

<sup>10</sup> Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes: & regnabimus super terram.

<sup>11</sup> <sup>13</sup> Tum aspexi, & audiui in circuitu throni & animalium & seniorum illorum vocem Angelorum multorum, <sup>14</sup> & erat eorum numerus <sup>d</sup> millies centena millia, & decies centena millia:

<sup>12</sup> Dicentes voce magna; Dignus est Agnus ille mactatus <sup>e</sup> qui accipiat virtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem:

<sup>13</sup> <sup>15</sup> Sed & omnem creaturam, quæ in cælo est, & quæ super terram & sub terra in mari, & quæ in eis sunt omnia, audiui dicentia, Sessori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur, in secula seculorum.

<sup>14</sup> <sup>16</sup> Quatuor autem animalia illa dicebant, Amen: & viginti quatuor illi Seniores prociderunt in facies suas, & adorarunt eum qui viuit in secula seculorum.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput quintum.

<sup>1</sup> *Transitio ad causam principalem secundam ordine, Filium Dei, Θεόν Ἐρωπρον, Mediatorem omnium, ut Sermonem æternum Dei Patris in carne*

B 4



patefactum. Huius autem capituli partes sunt duae: una, parasceua ad reuelationem, ex historia occasionum quae se obtulerunt, versib. 4. altera, historia reuelationis Christi, inde ad finem cap.

2 id est, in ipsa dextera Dei.

3 Hic occasiones narrantur, cur hac quoque principali causa fuerit opus, & reuelatione illius. Eae autem sunt tres: prima, Visio praesens libri consiliorum Dei, de vniuersitatis huius gubernatione, qui penes Patrem dicitur esse repositus in manu ipsius, sed creaturis omnibus occlusus atque incognitus, hoc vers. secunda, studium religiosum Angelorum Dei mysteriis libri illius cognoscendis: de quo 1. Petri 1. 12. versu 2. tertia, Ioannis & piorum fletus ex eodem studio commotus, vers. 4 ubi animaduertunt creaturarum omnium aduocatorum, quod narratur in vers. 3.

4 Vel neque eorum, qui sunt in caelo, neque eorum qui in terra, &c. atque hoc melius. Est autem sufficiens enumeratio partium ad negationem vniuersitatis creaturarum aliae sunt in caelo supra terram, aliae in terra, aliae infra terram in mari, ut post vers. 13. exponitur.

5 Altera pars capituli, in qua narratur reuelatio Filii, ut ante diximus. Continet autem haec pars historiam, primum modi quo Deus Ioannem ad percipiendam reuelationem comparauit, hoc vers. deinde reuelationem ipsam Filii, ad versum usque 7. tertio adiuncta reuelationis, reliquo cap. Modus autem duplex hoc loco describitur: unus foris sermone, hoc vers. alter intus, apertis Ioanni oculis (qui prius tenebantur) ut videre posset, vers. seq.

6 id est,



6 id est, princeps fortissimus & spectatissimus, ex Hebraeorum usu.

7 Summa reuelationis. Christus Mediator librum accipit aperitq<sup>3</sup>, vers. 6. & 7. Itaque describitur in hac reuelatione persona Christi, hoc vers. & factum illius, sequente. Persona hoc modo describitur. Christus mediator inter Deum, Angelos, & homines, ut Sermo aeternus Dei, & Redemptor noster ut Agnus Dei, consistens ut mactatus, & intercedens pro nobis virtute & merito aeterni sacrificii sui, Spiritu Dei instructus est in persona sua, id est, potentia Dei & sapientia Dei essentialiter, ad vniuersitatis huius gubernationem.

8 Factum Christi Mediatoris, quod venit ad thronum Patris, de quo precedente cap. & librum accepit de manu eius aperturus. Nam aperuisse demum dicitur infra 6. 1. & sequentibus.

9 Sequuntur demum adiuncta illius reuelationis quae modo dicta est: quod sancti omnes Angeli & homines cecinerunt ipsi, tum principes, vers. 9. & 10. tum etiam vulgus Angelorum, vers. 11. & 12. & rerum creaturarum omnium, vers. 13. principibus utrorumque annuentibus, vers. 14.

10 Symbola laudis odore vel suauolentis & accepta Domino. vide infra 8. 3.

11 nimirum ex re presente concinnatum, quum Agnus quasi pedibus accepisset librum, & cornibus referaret, ut in cantico dicitur.

12 Canticum procerum siue principum adstantium throno, constans praedicatione dignitatis Christi, & confirmatione à beneficiis ipsius, tum quae accepimus ab ipso, ut sunt, perpassio mortis ipsius, redemptio in cruce per sanguinem eius, hoc vers. & regni ac sacerdotis



facta nobiscum olim communicatio, tum qua nos speramus adepturos, ut regnum nostrum futurum in Christo, seq. vers.

13 *Συνοδικα* vulgi Angelorum, principibus qui throno adstabant accinentium.

14 Numerus finitus, sed propè infinitus, pro verè infinito, ut Dani. 7.

15 *Συνοδικα* uniuersi vulgi in rebus creatis.

16 Confirmatio laudis à procerum contestatione facta sermone & signis, ut antè aliquoties.

BEZÆ ET ALIORVM.

*a* Obtinuit. *b* vide infra 8. 3. *c* Non vulgare. *d* Indicatur numerus ingens. *e* Cui deferatur laus omnis, tamquam potentissimo, sapientissimo, &c.

C A P V T S E X T V M.

1 *Aperit Agnus primum libri sigillum, 3 secundum, 5 tertium, 7 quartum, 9 quintum, 12 & sextum. Quibus apertis, cades, fames, pestis, sanctorum querela, terra motus, & varia celi prodigia oriuntur.*

1 **P**OSTEA vidi, quum aperuisset Agnus primum ex sigillis, & audiui vnum ex quatuor illis animalibus dicens, tamquam vocem tonitruui, Veni & vide.

2 <sup>2</sup> **A**SPEXI igitur, & ecce *aderat* equus albus: & qui insidebat ei habebat arcum: & data est ei corona, & prodiit vincens, & vt vinceret.

3 <sup>3</sup> **Q**UUMq; aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens, Veni, & vide.

4 **E**T prodiit alius equus rufus: & ei qui insidebat



debat super eum, datum est vt tollat pacem e terra, vt alii alios mactent: datusque est ei gladius magnus.

5 4 Et quum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens, Veni, & vide. Aspexi igitur, & ecce equus niger *aderat*: & qui insidebat ei, habebat stateram in manu sua.

6 Et audiui vocem inter illa quatuor animalia dicentem, <sup>a</sup> Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario: & <sup>s</sup> vinum & oleum ne læferis.

7 6 Quumque aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentem, Veni & vide.

8 Tum vidi, & ecce *aderat* equus pallidus, & eius qui insidebat ei, nomen erat Mors: & Infernus sequebatur eam: dataque est eis in quadrantem terræ potestas trucidandi gladio, & fame, & morte, & per terrestres feras.

9 7 Quum verò aperuisset sigillum quintum, vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter testimonium quod tuebantur.

10 Clamabant autem voce magna dicentes, Usquequo Domine, qui sanctus es & verax, non iudicas, ac sanguinem nostrum vindicas, *eum* *repscendo* ab iis qui habitant in terra?

11 Tum datae sunt singulis <sup>s</sup> stolæ albæ, & dictum est eis vt requiescerent adhuc paululum temporis, vsquequo <sup>b</sup> compleantur etiam conserui eorum & fratres eorum, qui trucidandi sunt sicut & ipsi.



12<sup>o</sup> Deinde aspexi quum aperuisset sigillum sextum, & ecce terræmotus magnus factus est: & sol factus est niger vt c<sup>o</sup> saccus cilicinus, & luna tota facta est vt sanguis:

13 Et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut ficus abiicit grossos suos quum vento magno concutitur.

14 Et cælum abscessit sicut liber qui conuoluitur: & omnes montes & insulæ è suis locis emotæ sunt:

15<sup>o</sup> Et reges terræ, & proceres, & diuites, & tribuni, & potentes, omnesque tum serui tum ingenui absconderunt se in speluncis & in petris montium:

16 Et dixerunt montibus & petris, <sup>ii</sup> Cadite in nos, abscondite nos à conspectu eius qui insidet throno, & ab ira Agni:

17 Nam veniet dies ille magnus iræ illius: & quis poterit stare?

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput sextum.

*Hæc prioris historia (quam totius mundi communem esse diximus) secunda pars, de factis Dei in mundi huius gubernatione. Huius autem partis tria sunt uniuersè membra: præsignificatio, cautio, & exsequutio malorum omnium quæ fundit Deus in mundum, istum pessimè de se meritum. Ac præsignificatio quidem, hoc cap. cautio προφυλαξις in Ecclesia, capite seq. exsequutio verò cap. 8. & 9. describitur. Præsignificationi cuique tria sunt membra: vocatio singularis Ioannis, vt se ad res percipiendas comparet*  
*quæ*



quæ reseratis sigillis fuerunt, ipsi exhibenda: signum: & sermo interpres signi. Et si vocatio signis tantum quatuor adhibetur, in posterioribus intelligenda est. Prasignificationum auctor est Agnus, ut Sermo ille Patris Mediator factus, aperiens sigilla libri: instrumenta sunt Angeli plerisque in visionibus, signum & sermonem illius exponentes. Primus autem hic versus singularem Ioannis vocationem continet ad observandam sigilli primi aperturam.

2 Primum signum sermone coniunctum: quod Deus propter peccata & horrendam rebellionem mundi in eum sit incursum, eumque primum suis pestilentia telis eminens citissime, potentissime, gloriosissimeque debellaturus, ut iudex, & triumphaturus ut victor.

3 Secundum signum sermone coniunctum, post expositam singularem vocationem Ioannis, ut ante: quod Deus accensus ira propter obdurationem mundi minime resipiscentis antecedente plaga, velut aggrediens cominus, sit ignem discidiorum inter homines accensurus, & mundi istius incolas perditurus alios aliorum gladio.

4 Tertium signum sermone coniunctum, quod Deus mundum sit funestaturus fame, annonam supprimens: qua synecdochice tritico, vino, oleo comprehenditur.

5 Legi malim hoc modo, & vinum & oleum: non feceris iniuste. in hanc sententiam, vinum & oleum similiter paucissimum denario dabitur: non feceris iniuste, puta quum admetieris pauculum pretio grauissimo. sic locus evidens. alioquin certissimum illud est quod ait sapiens, eum qui comprimit triticum, popularibus esse execrationi. Prov. II. 26.



6 *Quartum signum sermone coniunctum: quod Deus quadrantem mundi promiscue morti & inferno siue sepulcro addicturus est iis modis omnibus coniunctim, quibus ante seorsim & ex ordine animum illius ad bonam frugem reuocauerat. his adduntur etiam terrestres & cruenta fera, ex Leuit. 26. 22. Sic thesauros potentia sua dispensat. Deus pro sapientia sua, iuste in omnibus, misericorditer in bonos, & toleranter siue μακροθυμῶς in aduersarios suos.*

7 *Quintum signum, quod pii martyres sub altare quo sanctificantur recepti, id est, in fidem & clientelam Christi (cuius in manu sunt positi) in clamaturi sunt iustitiam Dei religioso studio in regnum ipsius, ac non priuata animi perturbatione, hoc & seq. vers. Deusque re, signo, sermone consolaturus eos, vers. 11.*

8 *Ut supra 3. 4.*

9 *Sextum signum, cuius narratio duas partes continet, signum, & euentum. Signum est, quod terra, celum, & que sunt in eis, horrore peccatorum mundi ad illas prænunciationes Dei grauissimas & sanctorum querimonias percellentur vehementissimè, contremiscendo, tenebrascendo horribiliter, hoc vers. ruendo ex alto, vers. 13. contrahendo sese, & diffugiendo præ commotionis grauitate, vers. 14. adeo sancte res omnes create à nutu Dei pendent, & in gloria ipsius conquiescunt.*

10 *Euentus precedentis signi: quod nemo homo illa commotione uniuersali non commouebitur, diffugiet metu, & abscondet se, hoc vers. mortemque sibi acerbissimam præoptabit, Dei & Agni iram (ad quam prius stupebat) perhorrescens. Est autem hæc commotio non piorum, sed impiorum, quibus sua sors est in hoc mundo, ut Psaltes loquitur Psal. 17. non illa tristitia se-*



ria secundum Deum, quæ resipiscentiam efficit ad salutem, cuius nunquam poeniteat; sed tristitia mundi, quæ mortem efficit, 2. Cor. 7. 9. ut optata illorum docent. Nam hæc mundi est historia, ab historia Ecclesiæ separata, ut antiè in cap. 4. 1. ostendimus.

II Hæc verba desperantium de salute sua: cuius desperationis duo argumenta: presentia Dei & Agni irascentis in mundum, hoc vers. & infirmitatis conscientia, qua sentiunt homines se ad diem iræ Dei minimè posse consistere, vers. 17. ut dicitur Esai. 14. 27.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Magna indicatur caritas annonæ: est enim chœnix mensura aridorum, octaua pars modii, olim apud Græcos demensum diurni cibi seruilis. <sup>b</sup> Usquedum compleatur numerus eorum. <sup>c</sup> Ita vocabant olim opera pilis texta.

## CAPVT SEPTIMUM.

1 Grassantes in vrbe Angeli, 3 inhibentur donec Electi Domini 5 ex omnibus tribubus signentur. Deinde eorum qui Christi causa persecutionem sustinuerunt, 16 felicitas, 17 & gaudium describitur.

1 **P**ostea vidi quatuor Angelos insistentes quatuor <sup>a</sup> angulis terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neq; super mare, <sup>2</sup> neq; in vllam arborem.

2 <sup>3</sup> Et vidi + alium Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei viui: qui acclamauit voce magna quatuor illis Angelis quibus datum est lædere terram & mare,

3 Dicens, Ne lædite terram, neque mare, neque arbores, quousque ob signauerimus seruos Dei nostri in frontibus suis.



4 Et audiui numerum obfignatorum: *s* centum quadraginta quatuor millia *erant* obfignata ex omnibus tribubus filiorum Israël.

5 Ex tribu Iudæ, duodecies mille obfignata: ex tribu Ruben, duodecies mille obfignata: ex tribu Gad, duodecies mille obfignata:

6 Ex tribu Aferis, duodecies mille obfignata: ex tribu Nephthali, duodecies mille obfignata: ex tribu Manassis, duodecies mille obfignata:

7 Ex tribu Simeonis: duodecies mille obfignata: <sup>6</sup> ex tribu Leui, duodecies mille obfignata: ex tribu Issacaris, duodecies mille obfignata:

8 Ex tribu Zabulonis, duodecies mille obfignata, ex tribu <sup>c</sup> Ioseph, duodecies mille obfignata: ex tribu Beniaminis, duodecies mille obfignata.

9 Postea vidi, & ecce, *aderat* turba multa, <sup>7</sup> quam numerare nemo possit, ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis: <sup>8</sup> stabantque ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis: & palmæ in manibus eorum.

10 <sup>9</sup> Et clamabant voce magna, dicentes, *Salus à Deo nostro est*, insidente throno, & *ab* Agno.

11 Omnes autem Angeli stabant in circuitu throni & seniorum & quatuor animalium illorum, & procubuerunt in conspectu throni in facies suas, & adorarunt Deum,

12 Dicentes, Amen: benedictio, & gloria, & sapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, &



tus, & robur Deo nostro in secula seculorum.  
Amen.

13 <sup>10</sup> Tum me compellauit vnus ex illis Senioribus, dicens mihi, Isti qui amicti sunt stolis albis, quoniam sunt & vnde venerunt?

14 Et dixi ei, Domine, tu nosti. <sup>11</sup> Et dixit mihi, Hi sunt qui venerunt ex afflictione magna: & lauerunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine Agni.

15 Ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei <sup>d</sup> die ac nocte in templo eius: & qui insidet throno, <sup>e</sup> vmbaculo proteget eos.

16 Non esurient amplius, neque sitient amplius, nec in eos cadet sol, neque vllus æstus.

17 Quoniam Agnus qui in medio throni est, pascet eos, & deducet ad viuos fontes aquarum: & abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

## FRANC. IUNII NOTÆ,

## In Caput septimum.

1. Secundum huius partis membrum *ἡ ἐκ τῆς Φυλάξεως*, ut distinximus sup. 6. 1. id est, de cautione qua pius suis precauit & prospexit Deus, ut exemplo Israelitarum olim Exodi 8. 23. e flagellis mundi istius impii fideles eximerentur. Est autem vniuersus hic locus interfationis & interductus cuiusdam, toto hoc cap. sumta occasione ex predictione & argumento sigilli sexti. Nam primum cauetur electis ab eo malo, vsque ad versum 9. deinde gratie ab electis aguntur eo nomine, vers. 10. & duobus seq. postremo rei comple-

C



mentum exponitur, ad finem usque cap. Primus autem versus transitionis est, narrans de Angelis has inferiores partes custodientibus ab omni malo, donec precipiat Deus. Nam (ut optimè figuratur ab Ezechiele 1.11. & 12.) facies eorum & ala eorum porrectæ sunt sursum, observantes & spectantes indefinenter Dei nutum, & quisque in tractum faciei suæ obiectum eunt, quocumque est spiritus iturus eunt, non diuertunt eundo, id est, ne pedem quidem latum discedunt a via quam sibi imperat Deus.

2 id est, neque in aërem, quò fastigia arborum attolluntur.

3 Iam cauet electis Deus, mandato, vers. 2. & 3. & signo, tum ex Iudeorum gente, inde ad vers. 8. usque, tum etiam ex gentibus, vers. 9.

4 non solum alium siue differentem numero a ceteris Angelis Dei, sed essentia ipsa, officio, & operatione Angelis omnibus antestantem: id est, Christum Iesum Angelum vel Sermonem eternum, mediatorumque federis. sic infra 8. 3. & 10. 1. & 5.

5 id est, ex Iudeis numerum certum in se coram Deo, & nobis numerabilem: quapropter etiam definitur. At electorum ex Gentibus certus quidem in se est Deo numerus, sed nobis innumerabilis, ut dixit Deus, Genes. 15. 5. & alibi passim, & eleganter figuravit Esai. 49. & 60. Hoc igitur καὶ αὐτὶ dictum est, quum definitus numerus pro indefinito ponitur. confer cum vers. 9.

6 Hic tribus Leui communiter cum aliis recensetur, quia omnes Israëlita ex aequo Sacerdotes effecti sunt cum illis in Christo per sacerdotium ipsius, sup. 1. 6. & 5. 10. & Rom. 12. 1. & 1. Petr. 2. 9. Danis verò nomen  
retice-



reticetur, quia Dan ita iam olim omisso Deicultu à sorte populi Dei ad sortem Gentium transierant: quod malum ante multa secula Iacob præviderat, Genes. 49. 18. quamobrem etiam nulla habetur eius recensio priore libro Chronicorum.

7 Vide supra in vers. 4.

8 ut sacerdotes, reges, & victores gloriosi martyrio: qua suis signis hoc vers. denotantur.

9 Laudatio Dei enunciata primùm à sanctis hominibus, hoc vers. tum ab Angelis celestibus, duobus seq.

10 Transitio ad expositionem visi: de qua ut Ioannem excitet, Angelus eum rogat, hoc vers. & Ioannes unica loquendi formula cum ignorationem suam agnoscit tribuens scientiam Angelo, tum modestissime explicationem petit, seq. vers.

11 Expositio visi, qua enarrat Angelus primùm res gestas sanctorum, id est, perpeffiones ipsorum, & opus fidei in Christo Iesu, hoc vers. secundo gloriam ipsorum, tum presentem duabus in rebus positam, quod ipsi ministrant Domino, & quod protegit ipsos Deus, vers. 15 tum futuram in perfecta liberatione ab omni incommodo, vers. 16. & omnis boni communicatione, quam vel memoria mali non sit unquam minutura, vers. 17. Horum autem omnium causa efficiens & continens est unica, Agnus Dei, Dominus, Mediator & Seruator Christus.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> In quatuor terræ plagis seu cardinibus. <sup>b</sup> Omisit Dan, & recesset Leui. <sup>c</sup> Ephraim alterius filii Ioseph, & qui primogenitura donatus est, vnde Ioseph dicitur. <sup>d</sup> Alludit ad diurna & nocturna Leuitarum ministeria: alioqui nulla nox est in celo. <sup>e</sup> Vel habitabit super eos, ut significetur diuina defensio atq; protectio quasi erga illos, qui ut in b diuinis tabernaculis sunt in tuto



## CAPVT OCTAVVM.

*1* Septimo sigillo aperto, *3* offeruntur sanctorum preces per suffitum. *6* procedunt septem Angeli cum tubis. *7* & quatuor primis clangentibus ignis decidit, *9* mare turbatur, *10. 11* aqua amarescunt, *12* & stellæ obtenebrantur.

**1** **P**orro quum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo, ferme per semihoram.

*2* <sup>2</sup> Et vidi septem illos Angelos qui <sup>a</sup> adstant coram Deo, quibus datæ sunt septem tubæ.

*3* <sup>3</sup> Tum alius Angelus venit, & stetit ante aram habens thuribulum aureum: & dati sunt ei suffitus multi, vt offerret cum precibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum.

*4* <sup>b</sup> Ascendit autem fumus suffituum, cum precibus Sanctorum, e manu Angeli ad conspectum Dei.

*5* Deinde accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud ex igne altaris, abiecitque in terram: & facta sunt tonitrua & voces & fulgura & terræ motus.

*6* <sup>4</sup> Et septem Angeli qui habebant septem tubas præparauerunt se vt clangerent.

*7* <sup>5</sup> Primus igitur Angelus claxit, & facta est grando & ignis, mista sanguine, proiectaque sunt in terram: & tertia pars arborum exusta est, & omne gramen viride exustum.

*8* <sup>6</sup> Dein-



8<sup>6</sup> Deinde secundus Angelus clauit, & quasi mons magnus igne ardens proiectus est in mare: factaque est tertia pars maris, sanguis.

9 Et mortua est tertia pars creaturarum que erant in mari, animantia dico, & tertia pars nauium perierunt.

10<sup>7</sup> Tum Angelus tertius clauit, & cecidit e caelo stella magna, ardens velut fax, ceciditque in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

11 Nomen autem stellae dicitur<sup>8</sup> Absinthium: versa est igitur tertia pars aquarum in Absinthium: & multi homines mortui sunt ex aquis, quod amaræ factæ essent.

12<sup>9</sup> Deinde quartus Angelus clauit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ & tertia pars stellarum: ita ut obicuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.

13<sup>10</sup> Et vidi, & audiui vnum Angelum volantem per medium caeli, dicentem voce magna, Væ, væ, væ incolis terræ, à reliquis fonis tubæ trium illorum Angelorum qui clangent.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput octauum.

1 *Regressio ad historiam sigillorum libri quæ Agnus aperit. Est autem sigillum septimum proxima præsignificatio, precisumq; mandatum de exsequutione summorum iudiciorum Dei in mundum hunc impium: qua præsignificatione ex sigillo visa, silent & horre-*



scunt omnia in celo præ admiratione, donec mandata exsequutionis a Deo singillatim dantur administris eius. Sic transitur ad tertium membrum, de quo supra in 6. 1. quod membrum est de malorum, quibus Deus mundum iustissime statuit affligere, exsequutione.

2 Sequitur membrum tertium communis historiae, ut modo diximus: iudiciorum Dei in mundum exsequutio. Hæc autem primùm generatim comparatur, ad vers. vsque 6. deinde minutatim secundum administratorum ordinem exponitur, ad finem vsque sequentis cap. Ad preparandam exsequutionem narrantur ista: primùm qui administri & instrumenta illius, hoc versu. secundo quod opus tum principis Angelorum hanc exsequutionem informantis, inde ad vers. 5. tum administratorum eius, in versu 6. Administri exsequutionis dicuntur septem Angeli: eorum instrumenta tubæ, quibus arma veluti conclamarent, mandato Dei. Septem verò proponuntur numero, quia non placuit Deo iram suam unico impetu in mundum rebellem effundere, sed per varios paulatim, lentoque ordine, & quasi agrè in creaturas suas sermone & signis per diu sollicitatas iudicia sua exercere, si forte resipiscentiam didicerint.

3 Hic Imperator summus, Dominus Iesus Christus, rex & seruator noster: qui tum intercedit apud Deum & Patrem pro sanctis, odore grato perfundens celeste sanctuarium, eorumque preces, ut labiorum vitulos & holocausta, offerens, hoc versu: adeo ut singuli (tanta est Christi & odia, & sacrificii illius efficacitas) conciliati contineantur cum Deo, & ipsi sint acceptissimi, vers. 4. tum ex thesauro suo & ab eodem sanctuario effundit in mundum ignem iræ suæ, diuinis signis



gnis unà accedentibus; eaque ratione, ut fetiales Rom.  
olim, bellum indicit rebellanti mundo.

4 Hoc administratorum opus. Angeli, administri  
Christi, clangore & voce sola (sunt enim pracones so-  
lum) efficaciter aduocant instrumenta irae Dei per vir-  
tutem illius. Haëtenus generalia. Sequitur narratio  
rerum singularium, quas Angeli sex numero operati  
sunt suo ordine, exposita ad versum 19. vsque cap. se-  
quentis: concluditur verò narratione euentus, qui ex  
his rebus gestis apud mundum consequutus est, duobus  
ultimis.

5 Prima exsequutio ad sonum primi Angeli, in  
terram, id est, habitatores terra metonymicè, & in to-  
tum prouentum eius. quemadmodum non obscure de-  
monstrat membri sequentis in vers. 9. cum hoc versu  
comparatio.

6 Secunda exsequutio, in mare, hoc versu, &  
quacunque in eo degunt, vers. seq.

7 Tertia exsequutio, in flumina & fontes, id est,  
in omnem aquam potabilem, hoc vers. cuius effectus,  
quod multi amarore aquarum exstincti sunt, ver-  
su seq.

8 metaphoricè, de nomine herbae amarissima, &  
vulgo cognita: nisi quis fortè sequutus Etymologicos  
malit adiectiue à  $\psi\upsilon\delta\iota\omicron\nu$  interpretari quasi à  $\pi\upsilon\delta\iota\omicron\nu$   
 $\delta\iota\omicron\nu$ , quod pra amaritudine bibi non potest, aut quod  
amariorum efficit liquorem cui infunditur, quam ut  
bibi ab ullo possit.

9 Quarta exsequutio, in lucida illa celi corpora  
huic inferiori mundo ministrantia.

10 Predictio  $\chi\epsilon\tau\lambda\iota\alpha\varsigma\iota\kappa\eta$  reliquarum exsequu-



tionis diuinae partium, & transitina ad sequentis cap. argumentum. De his autem plerisque omnibus prædixerat nominatim Christus Luc. 21. 24. & sequentibus: & communes sunt plagæ indiscriminatim citra notationem temporis enunciatae.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Qui coram eo apparent vt ministri. <sup>b</sup> Nullius sunt pretii nostræ preces, nisi adsit in primis vnica illius oblationis verè gratus odor, id est, nisi prius in Filio per fidem iustificati placeamus.

## CAPVT NONVM.

<sup>1</sup> Quinto Angelo clangente, <sup>3</sup> locustæ vastatrices prodeunt. <sup>13</sup> Sextus autem clangens <sup>16</sup> equites educit <sup>20</sup> humanum genus deuastantes.

<sup>1</sup> **T**VM quintus Angelus clauit, & vidit <sup>2</sup> stellam è cælo cecidisse in terram, <sup>3</sup> & data est ei *angelo* clauis putei a abyssi.

<sup>2</sup> <sup>4</sup> Aperuit igitur puteum abyssi: & ascendit fumus ex puteo vt fumus fornacis magnæ: & obscuratus est sol & aër à fumo putei.

<sup>3</sup> <sup>5</sup> Ex fumo autem exierunt locustæ in terram: datæque est illis potestas qualem habent potestatem terrestres scorpium.

<sup>4</sup> <sup>6</sup> Sed ipsis est dictum ne læderent gramen terræ, neque viride quicquam, neque vllam arborem: sed tantùm homines qui non haberent signum Dei in frontibus suis.

<sup>5</sup> Datum autem est eis, non vt occidant eos, sed vt crucientur mensibus quinq; *sicq;* cruciatus eorum vt cruciatus scorpium quum percusserit hominem.

6 Ita-



6 Itaq; per eos dies homines quærent mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori & fugiet mors ab eis.

7 7 Figuræ verò locustarum similes erant equis paratis ad prælium: erantque impositæ capitibus earum tanquam coronæ similes auro, & facies earum vt facies hominum.

8 Et habebant capillos vt capillos mulierum: & dentes earum vt leonum erant:

9 Habebant etiam loricas vt loricas ferreas: & sonitus alarum ipsarum vt sonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.

10 Sed & habebant caudas similes scorpionum: erantque aculei in caudis earum: & earum potestas erat nocere hominibus menses quinque.

11 8 Habebant autem sibi impositum regem, Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce verò Apollyon, id est, perdens.

12 9 Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ postea.

13 10 Tum sextus Angelus clauit, 11 & audiui vocem quamdam ex b quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei,

14 Dicentem sexto Angelo qui habebat tubam, 12 Solue quatuor illos Angelos victos ad magnum illud flumen Euphratem.

15 13 Soluti sunt igitur quatuor illi Angeli, parati ad horam & diem & mensem & annum, vt occidant tertiam partem hominum.

16 Eratque numerus equestris exercitus bis



millics centena millia: nam audiui numerum eorum.

17 Itémque vidi equos per visionem, & ipsorum sutores habentes thoraces igneos & hyacinthinos & sulphureos: erant autem capita equorum vt capita leonum: & ex ore ipsorum prodibat ignis, & fumus, & sulphur.

18 Ab his tribus occisa est tertia pars hominum, nempe ab igne, & fumo, & sulphure, quæ prodibant ex ore ipsorum.

19 Potestas enim eorum in ore eorum est, & in caudis eorum. nam <sup>14</sup> eorum caudæ similes sunt serpentibus, habentes capita per quæ nocent.

20 <sup>15</sup> Porrò reliqui homines qui occisi non sunt his plagis, nõ resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt ne adorarent dæmonia & simulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare:

21 Neque resipuerunt ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à scortatione sua, neque à furtis suis.

FRANC. IUNI NOTÆ,

In Caput nonum.

1 Quinta exsequutio, in homines impios, terra incultas (vt proximè dixit Angelus) a potestatibus inferorum effecta, hoc loco narratur ad vers 11. vsque: & post eam sexta, inde ad 19. postremò autem communis euentus in mundo ex antegressis exsequutionibus, duobus ultimis.

2 id est



2 id est, deorsum irruisse Angelum Dei instar stellæ circumfulgentem gloria: siue Christum eum dixeris, qui habet clauēs inferni per se & auctoritate principali, supra 1. 18. siue inferiorem aliquem Angelum, qui eandem clauem sibi donatam habeat, & occupet eam ministerialiter, siue ex officio ministratorio, hic, & infra 20. 1. sic accipitur cadendi verbum Genes. 14. 10. & 24. 64. & Hebr. 6. 6.

3 data est huic stellæ clauis. Nam potestates illæ malitiæ in tartarum detruse & catenis caliginis sunt tradite, ibidemque seruantur damnationi, nisi Deus ipsas ad tempus soluerit, 2. Petr. 2. 4. Iudæ 6. & infra 20. cuius capitis historia cum hoc capite habet conuenientiam tempore.

4 Adiunctus spirituum tartareorum seu infernalium, fumus tenebrosissimus & obscurans omnia in celo & in terra. sunt autem hæ spirituales tenebræ ἀλαζίας & omnis confusionis effectrices. Has enim tenebras in suum regnum certo tempore (de quo vers. 5.) immisit diabolus, ut omnia uno impetu perumperet, electos quoque ipsos, si posset fieri, peruerteret. His autem tenebris lux omnis spiritualis, tum ætina ut Solis, tum passiva ut aëris, qui illustratur a Sole, sublata est. Hoc antecedens spirituum: sequitur de spiritibus ipsis.

5 Descriptio malignorum spirituum mundum infestantium, a natura, potestate, forma, ordine ipsorum. Naturâ, quod tamquam locustæ sunt quaedam agilitate, subtilitate, nocumento, numero, & si qua sunt eiusmodi, hoc vers. Potestate, quod sunt tamquam terrestres scorpui, occulta nocendi potestate præditi: non enim lucta hic nobis est cum carne & sanguine, sed cum potestatibus, &c. Ephes. 6. 12. Hic autem locus de potesta-



te demonum generatim hoc vers. indicatus, speciatim deinceps exponitur 3. versib.

6 Hic potestas illa demonum speciatim describitur secundum actiones, & effecta ipsarum. Actiones circumscripta dicuntur consilio Dei: tum quia non omnibus obsunt, sed tantum reprobis (nam pios, in quibus est vel particula melioris vite, & electos decreto suo circummunit Deus) quos Christus non obsignauerit, hoc vers. tum quod nec potestatem quamuis, nec quouis tempore ne in suos quidem habuerunt, sed modo & tempore ex Dei prescripto limitatam, vers. 5. Sic eorum potestas affligendis piis nulla, impiis limitata est actu & effectu per voluntatem Dei. Modus enim fuit eis dictus, ne occidant, sed torqueant miserum mundum tempus vero mensium quinque, sine dierum centum quinquaginta, id est, totidem annorum, quibus diaboli omnia in mundo potentissime conturbarunt quidem, sed tamen citra publicam illam & impunem licentiam occidendi, quam postea usurparunt, quam sextus Angelus clauxit tuba, ut dicitur in vers. 13. Est autem hoc spatium a fine annorum mille numerandum de quibus infra 20. 3. id autem est a Pontificatu Gregorii illius VII. necromante portentosissimi, qui prius Hildebrandus Senensis dicebatur. Hic enim ex impietate & iniustitia constatus, ut mancipium diaboli cui ministrabat, fuit nequissimus mundi incendiarius: Henricum III. Cesarem excommunicauit, fraudibus omnia molitus est ut imperia regnaque institueret & destitueret arbitratus suo, & Rodolphum Sueuum non dubitauit imperio preficere Henrici loco, missa corona cum ad textu hoc versu, Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho: denique tam belle sagie  
 veruno



rerum suarum, ut publico incendio totam Christianitatem miserabiliter afflixerit, eamdemque incendii faciem in posteritatem suam transmiserit: quæ eadem ambitione percita, nunquam destitit illud ipsum incendium alere atque succendere, quo urbes, respub. regna inter se commissa per lanistas optimos vulneribus mutuis conciderunt. Desinit autem hoc spatium centum quinquaginta annorum, tempore Gregorii IX. siue Hugolini Anagniensis (ut appellabatur prius) qui corpus Decretalium per Raimundum quemdam capellanum & pœnitentiarium suum curavit compilari, & in orbe Christiano annuentibus Regibus & principibus terræ promulgari, & sanciri pro lege. Nam hac demum arte Pontifices licentiam occidendi sibi, aliis imprudentibus, arrogarunt, & impune carnificina ex impiis Decretalium capitulis quamplurimis constituta, quam tuba quinti Angeli disertè vetuerat, & impedierat ad hoc usque tempus. Harum verò funestiarum actionum effecta in vers. 6. exponuntur, quòd miser mundus in tantis malis contabescens ultro ad mortem concursurus est, eamque antepositurus vitæ præmalorum prementium acerbitate.

7 Forma spirituum tartareorum & administratorum, signis & figuris aspectabilibus adumbratur in hunc modum: quòd sunt paratissimi & expeditissimi: quòd regnum, ubicunque sunt, in mundo obtinent: quòd res suas agunt cum intelligentia & arte, hoc vers. quòd mollem teneramque speciem præ se ferentes hominibus inescandis, firunt in maleficia impotentissime: quòd ad nocendum sunt potentissimi, vers. 8. quòd expertes omnis læsionis ab hominibus, velut religioni specie & diplomatum auctoritate sancta loricati: quòd



horrore complentes omnia, vers. 9. quod fraudulentis, quod venenati sint ac summè noxii, quamuis limitatâ potentia ipsorum, vers. 10. quæ omnia potestatibus inferorum insunt per se; & per communicationem quamdam, earum administris atque mancipiis.

8 Ordo potestatum malitie; quod uni regi infernali parent, quem perditorem Latine dixeris, mundum uniuersum apud Iudeos & gentes agitanti in perniciem ipsius. Atque haud scio an nomen istud ad Hildebrandi respiciat etymologiam per *Ἡλιόθεν* in sacris Scripturis frequentatam: quod etsi a Germanis aliter verti potest (ut ambigua plurimum est nominum compositorum ratio) reuera tamen perinde sonat ac si fidei incendium dixeris, id est, eorum qui sibi fidi sunt incendiarium.

9 Transitio ad sequentem locum, & sequentis temporis historiam.

10 Sexta exsequutio in mundum, per tyrannicas potestates eius in quatuor partibus terra operantes, id est, in uniuerso terrarum orbe exercentes seuissimè tyrannicum dominatum suum, mortemque miseris impune adferentes, quod prius non item licuerat, ut in versum 4. ostendimus. Huius autem narrationis duæ sunt partes: mandatum a domino. vers. 14. & mandati exsequutio, versibus seq.

11 Mandatum a Christo imperatore datum.

12 q. d. isti hæcenus sic fuerunt vincti potentia Dei, ut nondum liberè in homines grassari ex animi sui sententia potuerint; sed ad magnum illud flumen Euphratem, id est, in spiritali sua Babylone (hæc enim periphrasis est Babylonis spiritalis, ab aspectabilis Babylonia iam olim euerse termino) hæserunt constricti  
atque



atque prepediti, ne immanes illas cedes, quas spirans iam diu, perpetrent. Nunc autem age, solue quatuor illos Angelos, id est, ministros ira Dei, eo numero qui opus est ad quatuor mundi plagas funestandas, excita, habenasque permittite eis, ut ex illa sua Babylonia, impiorum sede, erumpentes inuolent in uniuersum mundum, ubi furant suamque tyrannidem licentiosissime exerceant ordinatione Dei. Hoc uero factum est, quum publica auctoritate Gregorius IX. suas Decretales sanxit, quibus liberè hominum imperitorum uita insidiaretur. Nam quotus quisque est, qui non uideat Decretalium capitula quamplurima esse animarum tendiculas? Ex eo tempore quanta strages! quanta laniena! Deus bone. Plena sunt historia: & exemplis horrificis abundat hæc memoria nostra.

13 Exsequutio mandati duplex: una, quòd soluti sunt isti carnifices, qui ex arce sua spiritualis Babylonis per orbem furibundi discursarent, tum principes in eo numero expeditissimi ad momenta omnia, hoc uersu: *Et agmina eorum numerosissima, de quibus numerus definitus predicatur pro indefinito, uers. 16. & in sese omnibus modis instructissima ad tegendum, & ad ledendum. uersu 17. ut qui igne, fumo, sulphure loricati sint, prout colore thoracum demonstratur oculos omnium prestinguente; & leoninum robur ad nocendum habeant, quotamquam ex ore funduntur illa Pontificum ignita, fumosa, sulphureaque tela, uersu 17. altera, quòd isti carnifices mandatum Dei effectum reddiderunt fraude & uolentia, uers. duobus seq.*

14 id est, amphibene sunt, quacunque manuum admoueat, quacunque attigerint, noxii. sic etiam priores dicuntur scorpui, uers. 3.



15 Restat iam euentus (ut diximus in versum 1.) ex tot tantisque iudiciis in mundo hoc pessimo consequutus: nempe ἀμεταμέλη] & impiorum obfirmatio in sua impietate & iniustitia, quamuis se manu Dei opprimi sentiant vehementissime. Nam obstinata eorum impietas, hoc vers. iniustitia, sequente ostenditur. Atque hactenus historia communis rerum in toto mundo promiscue futurarum. Quae historia quia non tantopere ad Christi Ecclesiam attinet, propterea non usque adeo temporibus certis & circumstantiis aliis distinguitur: sed molliore (quod aiunt) brachio perterritur. Nec alia etiam causa est, cur septimi Angeli historia hoc loco reticetur, quam quod ea magis proprie ad historiam Ecclesiae pertinet: haec vero accuratius secundum tempora exponitur infra cap. 11. & 16. ut in eos locos dicturi sumus.

## B E Z Æ E T A L I O R V M.

<sup>a</sup> Abyssum vocat profundissimi tartari tenebras. <sup>b</sup> Alludit ad arcam sufficit, collocatam in atrio sacerdotum è regione Arcae federis, interposito tamen velo.

## C A P V T D E C I M V M.

1 Alius apparet Angelus amictus nube, 2 libellum apertum tenens. 3 Inclamat, 9 & Ioanni, 8 oraculi iussu, denotandum radit.

1 **T**Vm vidi 2 alium Angelum robustum descendentem de caelo, amictum nube, supra cuius caput erat iris: facies autem eius erat vt sol, & pedes eius vt columnæ igneæ.

2 Habebatque in manu sua 3 libellum apertum;



tum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.

3 Clamauitque voce magna, sicut leo rugit: & quum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas.

4 Et quum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: sed audiui vocem de caelo dicentem mihi, <sup>a</sup> Obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas.

5 Et Angelus quem vidi stantem super mare & super terram, <sup>b</sup> sustulit manum suam ad caelum,

6 Et iurauit per eum qui viuit in secula seculorum, qui creauit caelum & ea quæ sunt in eo, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sunt, <sup>c</sup> tempus non fore amplius.

7 Sed in diebus <sup>6</sup> vocis septimi Angeli, quum futurum est vt clangat, consummandum esse mysterium Dei, sicut annunciauit seruis suis prophetis.

8 Et vox quam audieram è caelo, rursus loquuta est mecum, & dixit, Abi, & accipe libellum illum apertum *qui est* in manu Angeli stantis super mare & super terram.

9 Abii igitur ad Angelum, dicens ei, Da mihi libellum. Et dixit mihi, Accipe & deuora eum: & amaritudinem adferet ventri tuo, sed in ore tuo erit dulcis tamquam mel.

10 Accepi igitur libellum è manu Angeli, & deuoravi eum: eratque in ore meo dulcis tam-



quam mel: sed quum deuorasset eum, amaruit venter meus.

ii<sup>8</sup> Tum dixit mihi, Oportet te iterum prophetare coram populis & gentibus, & linguis, & regibus multis.

FRANC. IUNII NOTÆ,  
In Caput decimum.

I Nunc transit Ioannes ad historiam alteram prophetica de Ecclesia Dei: prout distingui librū docuimus oportere supra 4. 1. Pertinet autē historia hæc ad caput 22. usq<sup>3</sup>: & transitio fit a cōmuni historia mundi ad singularem Ecclesie, toto hoc cap. Huius historia duo sunt parasceuaistica in transiitione, quæ toto cap. continentur: unum, Christi reuelantis mysteria sua, & seruum suum vocantis auctoritas, ad versum 7. alterum, singularis ad hunc locum repetitæque Ioannis vocatio, ad finem usque. Auctoritatem reuelationi adferunt hæc: primum persona Christi e celo compārens cum habitu & specie illius, robusta, expedita, gloriosa, collustrans omnia prouidentia sua, & regens omnipotentia, vers. 1. secundo quod ex libello, ac non temere, hanc reuelationem apertam attulit, oculis expositam, quam mari & terræ significaret, ut dominus omnium, vers. 2. tertio quod eam non clam pipiens aut mussitans (ut pseudo-propheta) obtulit, sed inclamans summa voce dormientes, & leonina atque terribili securos excitauit, tonitruis contestantibus, vers. 3. postremo quod iuramento omnia confirmauit, vers. 5. & duobus seq.

2 Christum Iesum: vide sup. in 7. 2.

3 Nempe libellum de rebus Ecclesie Dei singularem: nam liber vniuersitatis penes Creatorem fuisse dicitur



tur supra s. 1. libellus verò Ecclesie penes Redemptorem est: atque ex eo libello hausta est reliqua huius Apocalypseos historia.

4 Pium studium laudabile, sed cum scientia coniungendum: itaque nihil aggrediendum, nisi ex vocatione: bonis vocatio expectanda.

5 nec tempus, nec ea quae sunt in tempore: sed propè esse illud futurum seculum, quod totum simul eternitatis est & supra omnia tempora.

6 de qua infra 11. 15. & 16. 17.

7 Altera pars capituli, de singulari vocatione Joannis ad perceptionem sequentis prophetiae: quae mandatur ipsi primum signo, tribus vers. deinde apertis verbis, vers. ultimo. Ad narrationem signi pertinent ista: quod Ioannes caelitus instituitur de petendo libello prophetiae, hoc vers. nam hos ipsos motus studiæque inspirat Deus: quod petenti imperatur percipiendi modus figuratus, & usus illius exponitur, vers. 9. ut Ezech. 2. unde hæc similitudo traducta est: postremò quod ex mandato Christi Ioannes eum percepit; comperitque usu, quatenus à Christo est, suauem; sed quatenus afflictiones Ecclesie prænunciat esse, animo ipsius acerbissimum.

8 Simplex antecedentis signi enarratio, diuinam Ioannis vocationem testificans, imponensque necessitatem illius.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Teneat occulta. <sup>b</sup> Hic erat gestus iurantis, vt etiamnum hodie. <sup>c</sup> Nihil temporis erit amplius.

## CAPVT VNDECIMVM.

1 Templum metiri iubetur. 3 Dominus testes  
D 2



duos excitat, 7 quos à bestia laniatos, 9 nemo ter-  
re mandat. II Deus autem in vitam reuocatos,  
12 ad celum euocat. 13 Terrentur impii. 15 Et  
septimi Angeli tuba, resurrectionis, 18 & iudicii  
nuncia, describitur.

I **D**atus est autem mihi calamus similis  
virgæ, adstititque Angelus, dicens,  
Surge & <sup>2</sup> metire templum Dei & altare, & e-  
os qui adorant in eo.

<sup>2</sup> <sup>3</sup> Sed <sup>a</sup> atrium quod extra templum est  
<sup>b</sup> exclude, & ne metiaris illud: nam datum est  
<sup>4</sup> Gentibus: & Urbem sanctam calcabunt <sup>5</sup> men-  
sibus quadraginta duobus.

<sup>3</sup> Sed <sup>6</sup> dabo illam duobus illis testibus  
meis, qui <sup>7</sup> prophetabunt diebus mille du-  
centis sexaginta, amicti faccis.

<sup>4</sup> Hi sunt <sup>8</sup> duæ illæ oleæ, & duo candela-  
bra in conspectu Dei terræ posita.

<sup>5</sup> <sup>9</sup> Quod si quis velit eos iniuria afficere,  
ignis prodit ex ore ipsorum qui deuoret inimi-  
cos eorum: nam si quis velit eos iniuria affice-  
re, ita oportet eum occidi.

<sup>6</sup> Hi habent potestatem claudendi cælum,  
ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & pote-  
statem habent super aquas, conuertendi eas in  
sanguinem: & percutiendi terram omni plaga  
quotiescunque voluerint.

<sup>7</sup> Porro <sup>10</sup> quum <sup>c</sup> finierint suum testi-  
moniū, <sup>11</sup> bestia illa ascendens ex abyſſo <sup>12</sup> ge-  
ret aduersus eos bellum, & vincet eos, & occi-  
det eos.

8 Et ca-



8 Et cadauera eorum iacebunt <sup>13</sup> in plateis  
urbis magnæ, quæ vocatur <sup>d</sup> spiritualiter So-  
doma & Ægyptus, vbi & <sup>14</sup> dominus noster  
crucifixus est.

9 Et videbunt *homines* ex tribubus & popu-  
lis & linguis & gentibus cadauera eorum per  
<sup>15</sup> tres dies & dimidium, & cadauera eorum nõ  
sinent poni in monumentis.

10 Et incolæ terræ <sup>16</sup> gaudebunt super illis,  
& lætabuntur: & munera mittent alii aliis, quo-  
niam hi duo Prophetæ <sup>17</sup> cruciarint terræ in-  
colas.

11 <sup>18</sup> Sed <sup>19</sup> post dies tres & dimidium <sup>20</sup> spi-  
ritus vitæ à Deo *prodiens* ingreditur in illos:  
<sup>21</sup> stabuntq; *erecti* in pedes suos, & timor ma-  
gnus cadet in eos qui ipsos spectarint.

12 <sup>22</sup> Deinde audierunt vocem magnam de  
cælo, dicentem ipsis, Ascendite huc. Ascende-  
runtque in cælum per nubem: & <sup>23</sup> viderunt  
illos inimici eorum.

13 <sup>24</sup> Factusque est in illa hora terræ motus  
magnus: & decima pars Urbis cecidit, & occisa  
sunt in terræ motu capita hominũ septies mille,  
& reliqui territi sunt, & <sup>25</sup> e dederunt gloriam  
Deo cali.

14 <sup>26</sup> Væ secundum abiit, & ecce væ terti-  
um veniet citò.

15 <sup>27</sup> Septimus igitur Angelus claxit, & fa-  
ctæ sunt voces magnæ in cælo, dicentes, <sup>28</sup> Fa-  
ctæ sunt regna mundi, Domini nostri, Christi  
eius, qui regnabit in secula seculorum.

16 <sup>29</sup> Tum viginti quatuor illi Seniores qui



in conspectu Dei fedent in thronis suis, proci-  
derunt in facies suas, & adorarunt Deum,

17 Dicentes, Gratias agimus tibi Domine  
Deus omnipotens, Qui es, & Qui eras, & qui  
venturus es: quòd adeptus sis potentiam tu-  
am magnam, & regnum inieris:

18 <sup>30</sup> Et iratæ sunt Gentes, & aduenit ira tua,  
& tempus mortuorum, vt iudicentur, & des  
mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & ti-  
mentibus nomen tuum, paruis & magnis: &  
perdas eos qui perdunt terram.

19 Tunc <sup>31</sup> apertum est templum Dei in  
cælo, & visa est Arca federis eius in templo e-  
ius: & facta sunt fulgura & voces, & tonitrua,  
& terræmotus, & grando magna.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput vndecimum.

1 *Exposita auctoritate reuelationis instituta, & ne-  
cessitate vocationis illius qua Ioanni singulariter fuit  
imperata, deinceps historia subiicitur de statu Ecclesie  
Christi, tum certantis siue militantis, tum vincentis in  
Christo. Nam & Ecclesia Christi certare dicitur con-  
tra pseudochristianam Ecclesiam, cui Antichristus  
imperat, Christo Iesu fundente Antichristum spiritu  
oris sui: & Christus vincere gloriosissime, donec inter-  
emerit Antichristum reuelatione aduentus sui, vt  
optime docet Apostolus 2. Thessal. 2. Itaque huius hi-  
storie partes sunt dua: vna, de statu Ecclesie cum tenta-  
tionibus confluantis, ad caput 16. vsque: altera, de sta-  
tu eiusdem Ecclesie vincentis, inde ad caput 20. Prio-  
ris loci membra sunt duo, suis temporibus commodissi-  
me dis-*



mè distributa: quorum prius historiam Christiana Ecclesia continet ad annos 1260. quum Euangelium Christi in calum quasi receptum est e medio hominum; posterius, eiusdem Ecclesie historiam ad consummationem vsque victorie. Ac duo quidem hæc membra summam, quamuis distinctè, in hoc cap. proponuntur: sed copiosius utrumque postea suo ordine enarratur: nam certantis Ecclesie statum ex cap. 12. & 13. emergentis verò ex 14. & sequentibus duobus cognoscimus. Neque verò Ioannes temere utriusque temporis historiam in hoc cap. copulauit: quia de propheta hic agitur; quam unicam esse iustam & immutabilem in Ecclesia agnoscunt omnes, & continuam esse præcepit Christus. Prioris temporis historia ad versum vsque 14. pertinet: posterior reliquo cap. perscribitur. In priore narrantur ista: vocatio seruorum Dei, versibus 4. certamina à fidelibus piè in vocatione pro Christo & Ecclesia eius, obeunda, inde ad versum 10. & resurrectio eorum atque in calum receptio, ad versum 14. vsque. In seruorum Dei vocatione recensentur duo: generatio vel constitutio Ecclesie, duobus vers. & educatio, duobus alteris. Generatio Ecclesie hic Ioanni commendatur signo & sermone: signo calami mensorii, & sermone præcipiente ut metiatur templum Dei, id est, rationem nouam informet illius, cum in templum Ierosolymitanum iam ingrediantur gentes, & breui totum contaminaturæ ac euersuræ sint.

2. siue Ierosolymitanum, qui typus fuit Ecclesie Christi, siue caeleste illud ἀντίτυπον, de quo infra vers. 19. sed prius magis placet, & respondent sequentia omnia. Sensus igitur est, vides omnia ferme inde a passione Christi in domo dei conturbata, & non urbem



*solum Ierosolymorum, verumetiam atrium templi a gentibus, & profanis hominibus, siue Iudaei siue exteri sint, proculcatum: solum verò templum, id est, templi corpus cum altari & paucula bonorum verè adorantium manu restare, quos Deus sanctificet & confirmet presentia sua. Hoc igitur metire, hanc veram Ecclesiam, vel potius verum verae Ecclesiae typum, omissis ceteris: omniàque a me sic defini, ut Ecclesia germana Christi sit quasi per exiguum centrum: Antichristi verò Ecclesia, ambitus centri ex omni parte longè latèque circumstans eam: ut prophetando sic declares palàm templi Dei & cultorum eius fidelium, id est, huius Ecclesiae statum multo angustiores esse quàm sit Ecclesia Antichristi.*

3 quasi dicat, nihil ad te, ut iudices extraneos, 1. Cor. 5. 12. qui sunt innumeri: de domesticis tantummodò dispice, vel Dei viuentis domo.

4 profanis, impiis, & infidelibus Ecclesiae aduersariis.

5 siue diebus mille ducentis sexaginta, ut dicitur sequente vers. id est, annis 1260. dies pro anno, ut apud Ezechielem & Danielelem saepe: quod iam antè in 2. 10. adnotauimus. Horum autem mille ducentorum sexaginta annorum initium statuimus à passione Christi, qua disrupto intergerino pariete ex duobus facti sumus unum, Ephes. 2. unum, inquam, ouile sub pastore uno, Ioan. 10. finis autem præcisè incidit in Pontificatum Bonifacii VIII. qui sub desinentem annum Christi 1294. Pontificatum Rom. inuit in festo S. Lucia, ut ait Bergomensis, coniecto in carcerem antecessore Cælestino, cui fraude per oraculi speciem illuserat: quapropter rectè illud de eo dictum, intrauit ut vulpes, regnauit ut leo (alii, ut lupus) mortuus est ut canis. Si enim



enim de mille ducentis nonaginta quatuor annis aetatem Christi, qua vixit in terra, susculeris; præcisè restare comperias annos 1260. qui hoc loco & compluribus aliis referuntur.

6 *Malim, dabo illud.* Dicit enim Deus, dabo illud templum & committam duobus testibus meis, id est, Ministris verbi, pauculis quidem illis, infirmis, & contemptis; sed tamen duobus, id est, eo numero constitutis, ut alter alterum iuuare possit, & apud omnes alter confirmare testimonium alterius, ut ex ore duorum vel trium testium firmum sit apud homines omne verbum. 2. Cor. 13. 1.

7 *fungentur suo munere a me imperato per illos 1260. annos in mediis afflictionibus, quamuis luctuosissimis: quod synecdochicè lugubri vestitu ostenditur.*

8 *id est, ordinaria perpetuàque in Ecclesia mea spiritualis gratie, pacis, & lucis instrumenta, quam Deus sola sua virtute conseruat in templo suo. sic Zacar. 4.*

9 *Virtus & efficacia sancti ministerii, ac verè Evangelici, in terra & calo ostenditur, suos ministros tuens, & perdens aduersarios, hoc vers. virtus verè diuina, in calo, terra, & mari sese exserens potentissimè, vers. 6. ut describitur 2. Cor. 10. 4. ex promissione Christi, Marc. 16. 17. Atque hic secundus locus (ut antè diximus) de certaminibus, qua pios Dei seruos in defungenda vocatione sua obire necesse est, & rebus certaminum istorum consecrariis. Certaminibus insunt ista: vincere, his duobus vers. vinci, & occidi, vers. 7. Hæc autem cadis consecraria: sterni palàm piorum cadauera, vers. 8. insepulta proponi ostentui, etiam cum anathemate dirisque execrationibus, vers. 9. & gratulationes propterea publicè priuatimque fieri, vers. 10.*



10 id est, quum annos illos 1260. de quibus vers. 2. & 3. in testimonio suo dicendo ex officio consumserint.

11 de qua infra 13. & sequentib. Est autem bestia illa Romanum imperium, factum ex civili iam olim Ecclesiasticum, cuius princeps caput tum fuit ille Bonifacius VIII. ut ante diximus: qui in tantam arrogantiam erexit seipsum, ait auctor fasciculi temporum, ut dominum totius mundi se diceret tam in temporalibus, quam in spiritualibus. Exstat de eare scriptum ab eodem Bonifacio arrogantissime dicam, an impiè? ca. unam sanctam. extra. de maiori-ritate & obedientia: & in sexto Decretalium (qui ab eodem auctore est) multa habentur eiusdem argumenti.

12 id est, homines sanctos atrocissime persequetur, & morti tradet, eorumque memoriam & scripta confodiet ac defiget maledictionibus. Atque hoc pius quamplurimis fuisse à Bonifacio, & aliis factitatum, docent historie: in primis autem, ex quo exosam illam & damnatam in vulgus appellationem primùm Waldensium sine Lugdunensium fratrum, tum etiam Fratricellorum licuit obducere, ut plausibilius exoarnificarentur boni.

13 id est, in propatulo, Romæ: ubi frequentia tum fuit maxima, instituto primùm a Bonifacio per illud tempus ad finem istum Iubileo, anno Christi 1300. cuius exemplum legitur cap. 1. extra de pœnitentiis & remissionibus. Sic eadem opera duplicem Christo iniuriam fecit, qui & veritatem eius reuocato Iubilei typo aboleret, & de membris eius superstitione impia triumpharet. Hem, religiosum pectus! Ut autem hæc de Roma intelligamus, ipse Ioannes auctor est tum infra 17. toto ferme cap. tum etiam circumscriptioe proximè sequenti,



sequenti, quum ait magnam illam ciuitatem esse, (ut cap. 17. vocat) & spiritualiter Sodomam Ægyptumque appellari, & ibidem spiritualiter (nam hoc  $\delta\pi\omicron\ \kappa\epsilon\iota\omega\tilde{\varsigma}$  oportet repeti) Christum crucifixum esse. Nam duæ priores appellationes testantur mala spiritualia, postrema specie & pratextu boni, id est, religionis Christianæ atque orthodoxæ. Sodoma impietatem & iniustitiam licentiosissimam, Ægyptus persecutionem populi Dei atrocissimam, Ierosolyma præfidentissimam de religione vera gloriationem urbis illius significant in perfidia & impietate summa. Hæc autem omnia quis nescit potius & magis Romæ, quam ulli ciuitati alteri competere? Peruulgata sunt Romæ urbis ellogia iam ab aliquot seculis, quæ nostrum non est colligere. Hoc unum dicam, optime illum iam olim vidisse quid Roma sit, qui valedicens hoc disticho utebatur: Roma vale: vidi: satis est vidisse: reuertar:

Quum leno, meretrix, scurra, cinædus ero.

14 nimirum in membris suis: quemadmodum & alloquebatur Sāulum, Act. 9.5.

15 id est, treis annos cum dimidio: nam tot annos supervixit Bonifacius illi iubileo suo, Bergomensis teste.

16 eo amplius exercebunt hac occasione hilaria iubilæi sui.

17 Euangelium Christi, crux mundi: & ministerium illius, odor mortis ad mortem iis qui pereunt, 2. Cor. 2.16.

18 Tertius locus, ut antè adnotauimus, de Prophetarum resurrectione a mortuis, & euectione in calum. Nam eorum resurrectio, hoc vers. vocatio & euectio in calum, sequente vers. exponitur.



19 nemp̄e quo tempore Deus scelestum illum Bonifacium erit perditurus.

20 id est, resurgent quodammodo Propheta Dei, non illi quidem in persona sua, ut loquuntur, sed in spiritu, id est, virtute & efficacia sui ministerii, quam expressit Ioannes supra vers. 5. & 6. Sic enim predictionem de Elia dictam, de Joanne Baptista intelligendam interpretatur Angelus Luc. 1. 17. Nam ille ipse Bonifacius, qui eos occisos & perditos voluerat, igne oris divini (quem ministerium sacrum nunciat & exhibet) fuit devoratus, miseréque in carcere vita functus, Sarra Columnensis & Nogareti equitis Galli operâ, quem Rex Francorum Philippus Pulcher in Italiam cum per exigua manu submiserat.

21 id est, subsistet paulisper gravissimus ille afflictionum & persecutionum aestus, præ consternationis gravitate ex improvise illo iudicio Dei.

22 divinitus vocati in celum: & ex mundo hoc maligno in Ecclesiam caelestem, quæ hic quoque in terris latet, recepti sunt ad fungendum clamculum vocationem suam: ut quibus miser hic mundus indignus esset, Hebr. 11. 38. nam Ecclesia impiorum, terra vel mundus: piorum Ecclesia celum comparatè appellatur. Sic apud Israëlitas pios olim, sic apud Iudeos temporibus Manassis aliorumque Regum, quum cali heredes terra respueret, ut celum in terra legimus latuisse.

23 nec tamen potuerunt abditos Domini (ut Psaltes vocat Psal. 83. 4.) impedire, quin pergerent in opere illius.

24 Bergomensis, Anno 1301. inquit, cometes, futuræ maximæ cladis indicium, hoc anno in celum apparuit: in quo anno in solennitate sancti



sancti Andreae tantus repente terræmotus exortus est, quantum antea nunquam: qui & multis diebus per interualla perdurans multa diruit ædificia. Hæc ille de anno proximo post iubilæum: quæ Ioannes tot ante secula, quasi verbum de verbo expresserat.

25 præsentem quidem animi consternatione fracti, at non affecti seria, quam oportuit, resipiscentia.

26 Transitio ad secundam historiam, secundam partem capituli. Væ autem secundum & tertium Ioannes hoc loco dicit, respiciens ad versum 12. cap. 9.

27 de cuius clangore nominatim Christus prædixerat. sup. 10. 7. Hæc autem secunda pars capituli, summam historiam complectens Ecclesiæ Christianæ, inde a Bonifacii VIII. seculo ad consummationem usque victoriæ, celestibus vocibus enunciata. Huius autem historiae tres sunt loci: preparatio per clangorem Angelorum: narratio per celestium Angelorum & Seniorum voces: & confirmatio per signum.

28 Narrationis partes duæ: celestium acclamatio, hoc vers. & Seniorum omnium tum adoratio, vers. 16. tum gratiarum actio amplissima, vers. 17. & 18. Sensus acclamationis est, Iam inquit Dominus regnum suum, & restituit Ecclesiam suam, in qua se glorificet à proculcatione Gentium potentissimè vindicata. Nempe quod instituit Dominus, quum primùm instituit, id iam perfectum contemplatur sanctorum fides.

29 ut supra 7. 11. Sunt autem hæc gratiæ eiusdem planè argumenti cum verbis superioribus.

30 Hebraismus, pro eo quod est, iratis gentibus aduenit ira tua exardescens, & se reuelans e celo, occasione iræ & furoris illarum.



31 *Hac proxima prophetia confirmatio per signum in celo oblatum duum generum: quorum alia aspectabilia, cali discedentis, templi aperti, arca federis in templo coparentis & testificantis gratiosam presentiam Dei, fulgurumque: alia auribus accidentia & sensibus obtusioribus reliquis, in celo & terra veritatem iudiciorum Dei contestantia.*

BEZÆ ET ALIORVM.

*a* Loquitur de atrio exteriori, quod atrium populi dicebatur, quoniam omnibus patebat. *b* Ad verb. eice foras: eici autem censetur quod in metiendo tamquam prophanum negligitur. *c* Quum legationem suam obierint. *d* Occultiore quadam singularis intelligentiæ consideratione. *e* Confessione sua celebrarunt gloriam Dei.

CAPVT DVODECIMVM.

1 *Mulieris 2 parturientis signum apparet. 4 cuius partui insidiatur draco, 7 qui à Michaële deuictus, 9 deiicitur. 13 Et quo magis vincendus excluditur, eo acrius piis imminet.*

1 **V**isum est autem signum magnum in celo: 2 mulier amicta sole, sub cuius pedibus erat luna & in capite corona stellarum duodecim.

2 Et 3 prægnans clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret.

3 Et visum est aliud signum in celo: nam ecce, 4 adfuit draco magnus rufus, habens capita 5 septem & cornua 6 decem: & in capitibus suis diademata septem.

4 7 Cuius cauda trahebat tertiam partem stellarum cæli, quas abiicit in terram: 8 stetit autem



autem is draco ante mulierem parituram, vt  
quum peperisset, <sup>9</sup> filium eius deuoraret.

<sup>5</sup> <sup>10</sup> Peperit autem <sup>11</sup> filium masculum, re-  
cturum omnes Gentes virga ferrea: & raptus  
est Filius eius ad Deum & Thronum eius.

<sup>6</sup> <sup>12</sup> Mulier verò fugit in solitudinem, vbi  
habet locum paratum à Deo: vt illic <sup>13</sup> alerent  
eam diebus mille ducentis sexaginta.

<sup>7</sup> Et factum est prælium in cælo: <sup>14</sup> Mi-  
chaël & Angeli eius præliati sunt cum draco-  
ne, & draco pugnavit & Angeli eius:

<sup>8</sup> <sup>15</sup> Sed hi non præualuerunt, <sup>a</sup> neque lo-  
cus eorum amplius inuentus est in cælo.

<sup>9</sup> Et proiectus est draco ille magnus, ser-  
pens ille antiquus, qui vocatur diabolus & Sa-  
tanus, qui seducit totum terrarum orbem: pro-  
iectus, *inquam*, est in terram, & Angeli eius cum  
eo proiecti sunt.

<sup>10</sup> Et audiui vocem magnam dicentem in  
cælo, <sup>16</sup> Nunc facta est salus, & potentia, & re-  
gnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia  
deiectus est accusator fratrum nostrorum, qui  
accusabat eos ante conspectum Dei nostri die  
ac nocte.

<sup>11</sup> Sed ipsi vicerunt eum per sanguinem  
Agni, & per sermonem testimonii sui: & <sup>b</sup> ani-  
mæ suæ prodigi fuerunt vsque ad mortem.

<sup>12</sup> Propterea lætamini cæli, & qui habitatis  
in eis. Væ incolis terræ & maris: nam descen-  
dit diabolus ad vos, iræ magnæ plenus, vt qui  
sciat se paululum temporis habere.

<sup>13</sup> <sup>17</sup> Quum igitur vidisset draco se proie-



Etum esse in terram, persecutus est mulierem quæ pepererat masculum.

14 Sed <sup>18</sup> datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret à conspectu serpentis in desertum, <sup>c</sup> in locum suum, ubi aleretur <sup>19</sup> per tempus & tempora & dimidium temporis.

15 <sup>20</sup> Eiecit autem serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen: ut eam faceret rapi à flumine:

16 <sup>21</sup> Sed succurrit terra mulieri, aperuitque terra os suum, & absorpsit flumen quod eiecerat draco ex ore suo.

17 <sup>22</sup> Iratus est igitur draco aduersus mulierem: & abiit ut gereret bellum cum reliquis ex eius semine, obseruantibus mandata Dei, & habentibus testimonium IESU Christi.

18 <sup>23</sup> Stetitque super arenam maris.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput duodecimum.

I *Haecenus prophetia summa, duabus partibus comprehensa, ut in caput II. ostendimus. Deinceps prior prophetiae locus, hoc & sequente cap. posterior, cap. 14. & sequentibus duobus exponetur. Ad priorem locum, de certante seu militante Ecclesia, duo pertinent, ortus, & progressus illius in certaminibus & Christiana lucta: e quibus ortus hoc cap. progressus sequente describitur. Ortum Christianae Ecclesiae definimus, inde a momento conceptionis Christi, ad illud usque tempus quo Ecclesia haec tamquam a mamma vel lacte matris depulsa est: quum videlicet Ecclesia Iudeorum cum vrbe & templo subuersa est iudicio Dei. Sic habetur in*



tur in hoc cap. historia annorum amplius sexaginta nouem. Partes huius capituli sunt tres: prima, historia conceptus & gestationis, versibus 4. secunda, historia partus, a vers. 5. ad 12. usque: tertia denique, historia puerpere, inde ad finem cap. atque hee partes singulae suis certaminibus coniunctae sunt. Itaque prima illa parte duo membra concluduntur: unum de conceptu & gestatione, duobus vers. alterum de insidiis draconis aduersus partum, duobus alteris. Prioris membri sunt, descriptio matris, vers. 1. & dolorum parturientis, 2. vers. omnia celitus Ioanni demonstrata.

2 typus vere & sanctae Ecclesiae, quae tunc exstiterat in Iudeorum gente. haec autem Ecclesia (ut conditio est sanctae Ecclesiae catholicae) in se circumfulgebat gloria a Deo attributa, mutabilitatem proculcabat pedibus, & regnum caelorum obtinebat, tamquam haeresilius.

3 Haec enim sterilis illa est, quae non pepererat, de qua Esai. 54. 1. & Galat. 4. 27. verè autem clamauit & cruciata est per illud tempus, quum iudicio omnium moribunda, & iam propemodum actura animam videretur praesirmitate & tenuitate sua.

4 diabolus nempe vel Satanus, ut exponitur vers. 9. isq. potens, iracundus, & irarum plenus.

5 nempe septem illis Ecclesiis de quibus ante, id est, catholicae Ecclesiae obstitura; & quidem regali apparatu & tyrannica magnificentia, (quae diadematis figuratur) in caput impositis, velut ad ipsum circa controuersiam pertinentibus iure proprietario; ut etiam ostentabat Christo Matth. 4. vide infra in 13. 1.

6 plura quam sint. Agni cornua, aut quam sint.

E



*Ecclesia: adeo se ad maleficia quævis instructissimum esse gloriatur latro.*

7 Descriptioni diaboli subiicitur illius actio; puta certamen Ecclesie oblatum: partim aspectabili, in qua triticum palea, & boni pisces malis coniuncti sunt; & huius bonam partem de celo dicitur deturbasse atque pervertisse (nam si fieri posset, etiam electos peruersurus esset, *Matth. 24.24.*) quamuis specie refulgentem, ut stella in celo fulgent: partim electis membris sanctæ Ecclesie catholice, in parte secunda versus. De membris ergo Ecclesie visibilis plurima, inquit Ioannes, enertērat, & de eis triumphabat.

8 obstitit prisca illi Iudeorum Ecclesie electæ Christianam Ecclesiam paritura, & partum obseruauit. Nam tota Ecclesia totumque corpus, fœmine: pars uero Ecclesie foetui comparatur, ut copiose in *Cant. 7. 6.* obseruauimus.

9 Christum quem uocant mysticum, id est, totum, ex persona Christi uelut capite, & ex corpore cum capite per Spiritum adunato constantem. sic accipitur Christi appellatio *1. Cor. 12. 12.*

10 Secunda historia, de partu Ecclesie: in qua primum ratio partus & matris describitur, duobus vers. secundo certamen draconis in partum, & parta in illum uictoria, tribus vers. sequentib. postremo cantatur epiniciū, tribus alteris ad vers. 12. usque. Partus rationem duplicem ostendit Ioannes: nam describit illum, & stationem illius, hoc vers.

11 Christum, caput Ecclesie cum sua Ecclesia coniunctum (cuius principium, radix, & fundamentum idem est Christus) potentia regia instructum, & e faucibus Satanae (qui enim ut draco admordit in cruce) assumtum



sumtum in caelum, ut e folio illo caelesti imperaret.

12 Ecclesia Christi Judaica, post illius assumptionem in caelum, delituit in mundo velut in solitudine, sola Dei protectione freta. testis Lucas in Actis Apost.

13 nimirum Apostoli & serui Dei, ad Ecclesiam tum ex Iudaeis, tum ex Gentibus collectam, verbo vitæ alendam constituti. nisi quis fortè alerent, ex Hebraeorū usu accipiat impersonaliter, pro eo quod est aleretur. sed prius malo: nam ad duos illos prophetas respicit, de quibus sup. 11. 3. de illis autem mille ducentis sexaginta diebus consulendus ibidem locus.

14 Christus, princeps Angelorum, & Ecclesiae caput, virgam gerens illam ferream, vers. 5. vide annotata in Dan. 12. 1. Est autem hīc descriptio certaminis, in hoc vers. & victoria, duob. sequentibus. Ad hoc autem certamen respiciebat Psaltes Psal. 68. 19. & Paulus Ephes. 4. 8. & Coloss. 2. 15.

15 Victoria descriptio καὶ ἀναίρεσιν καὶ θεσιν, sine per negatiuam (ut loquuntur vulgo) propositionem, hoc vers. & per affirmatiuam contrariam, vers. seq. Satanam in caelo nihil obtinuisse; sed virtute Dei in hunc mundum, cuius est princeps, deiectum esse, Christo & electis eius membris ad thronum Dei consistentibus.

16 Epiniciū, seu triumphale carmen; continens primū propositionem gloriae Dei & Christi, victoria illa demonstrata, secundo rationem illius propositionis ab effectis, quod hostis debellatus, hoc vers. & pii in Christo victores καὶ ὑπερβινώντες Rom. 8. 37. effecti sunt, vers. 11. tertio conclusionem, ad caelestes & sanctos hortatoriam; ad mundum verò prophetica malignissimi atque exitii, quod a diabolo procuratur huma-



no generi, ne solus brevis sit miser, vers. 12.

17 Tertia pars, historia puerpera, duo membra continens: certamen diaboli contra Ecclesiam Christianam Iudeorum gentis, 4. versib. & institutum in semen illius, id est, in Ecclesiam gentium, quæ vocata est sancta in Evangelio Christi, duobus ultimis.

18 id est, diuinis viribus instructa, edoctaque monitis, effugit velocissime ab impetu diaboli & communi Ierosolymorum excidio, & in urbem solitariam trans Iordanem, Pellam nomine, commigravit, ut narrat Eusebius lib. 3. histor. Eccles. cap. 5. quem locum oraculo Deus ipsi imperauerat.

19 id est, per annos treis & dimidium. sic accipitur eadem loquutio Dan. 7. 25. Numeratur autem hoc spatium ferme à postrema illa grauissimaque defectione Iudeorum ad urbis & templi excidium usque. Cœpit enim defectio anno duodecimo Neronis: quæ defectio prius quàm institueretur, presagia & prædictiones multe diuinitus oblata sunt, ut narrat Iosephus libro 7. de bello Iudaico, cap. 12. & Hegesippus lib. 5. cap. 44. inter quas illa est memorabilis, quòd in festo Pentecostes non solum grauis sonus & strepitus in templo perceptus est, sed vox etiam e sanctuario à quàm plurimis exaudita, quæ inclamauerit, trãseamus hinc. Post tres autem annos cum dimidio quàm defectio illa a Iudeis cœpta est, factaque prodigia, urbs expugnata est, euersum templum, & repudiatus à Deo locus: atq; hoc spatium Ioannes hoc loco designauit.

20 id est, Romanos & gentes inflammavit, quæ Iudeorum gentem infestis armis persequentes, in Ecclesiam quoque Domini Ierosolymis & e Iudea profectam exundarent. Nam turbas inundantes gentium cum  
aquis



*aquis comparari in Scripturis, est frequentissimum.*

21 *Id est, alios Iudeos exhibuit Romano & gentibus in Iudeorum populum furentibus, effecitque ut Ecclesia ab illa violentia seruaretur integra, absumto in aliorum Iudeorum exitum illo violentissimo persecutionis flumine, quod draco vomuerat.*

22 *exardescens coepit amplius furere; quia irritos suos conatus in Christianam Iudearum reliquiarum Ecclesiam sensit, statuit in semen illius, id est, in Ecclesiam ex Gentibus etiam à Deo collectam, piæque illius membra irruere. Atque hoc alterum membrum, ut diximus in versum 13. quo & institutum diaboli, hoc vers. & conatus, sequente ostenditur.*

23 *id est, ut procella vehementissima incubuit toto mundo (cuius est princeps) in commouendos fluctus, & exacerbandas gentes, quæ insanis suis fluctibus Ecclesiam Christi piæque membra illius exagitaret, procelleret, perderetque. Sed huic conatui obstitit prouidentia Dei, ut tenelle recentiq; Gentium Ecclesie consuleret. Huius autem historia de dracone reliqua ab Apostolo Ioanne infra cap. 20. optimè pertexuntur. Hic enim conantem draconem in vincula coniecit Deus.*

## BEZÆ ET ALIORVM.

*a* Eiecti sunt, ita ut nusquam postea apparuerint in celo.  
*b* Ad verbum, & non dilexerunt animam suam. is autem Hebrais dicitur diligere animam suam. i. vitam, qui nihil habet hac vita charius: & è contrario non diligere animam suam, qui non dubitat illam periculis exponere, quoties ita factò opus est. *c* In eum locum qui est à Deo ipsi destinatus.

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1 *Describitur bestia illa multiceps, 8 que maximam mundi partem in idololatriam seducit, 12 que ab alia bestia ascendente, 15 confirmatur.*



1 **T**Um vidi bestiam <sup>2</sup> è mari ascenden-  
tem, quæ habebat <sup>3</sup> capita septem &  
cornua decem: & <sup>4</sup> impositum cornibus eius  
<sup>5</sup> nomen blasphemiarum.

2 Eratque hæc bestia quam vidi, <sup>6</sup> similis  
pardo, & pedes eius ut pedes ursi, & os eius ut  
os leonis: <sup>7</sup> dedit autem ei draco virtutem su-  
am, & thronum suum, & potestatem magnam.

3 Et <sup>8</sup> vidi unum ex capitibus eius quasi le-  
thaliter casum: sed ipsius plaga lethalis curata  
est: & admirans vniuersa terra sequuta est be-  
stiam.

4 Et adorarunt draconem qui dedit pote-  
statem bestiarum: & adorarunt bestiam, dicentes,  
Quis similis bestiarum? quis poterit pugnare cum  
ea?

5 <sup>9</sup> Datumque est ei os loquens magna &  
blasphemias: & data est ei potestas <sup>10</sup> agendi  
menses quadraginta duos.

6 Aperuit igitur os suum ad blasphemiam  
aduersus Deum, ut conuiciis afficeret nomen  
eius, & <sup>11</sup> tabernaculum eius, & <sup>12</sup> eos qui in  
cælo habitant.

7 Sed & datum est ei bellum gerere cum  
sanctis, & eos vincere: & data est ei potestas in  
omnem tribum, & linguam, & gentem.

8 Itaque adorabunt eam omnes incolæ  
terræ, <sup>13</sup> quorum non sunt scripta nomina in  
libro vitæ Agni illius mactari iam inde à iactis  
mundi fundamentis.

9 <sup>14</sup> Siquis habet aurem, audiat.

10 Siquis in captiuitatem agit, in captiuita-  
tem



tem abit : si quis gladio occiderit, oportet e-  
um gladio occidi. hic est tolerantia & fides San-  
ctorum.

11 <sup>15</sup> Deinde vidi aliam bestiam ascenden-  
tem e terra, <sup>16</sup> habentem cornua duo similia  
Agni, sed loquebatur vt draco.

12 <sup>17</sup> Ea verò potestatem prioris bestiae o-  
mnem exercet in conspectu eius, & facit vt ter-  
ra & ipsius incolae <sup>18</sup> adorent bestiam illam  
primam cuius curata fuerat plaga lethalis.

13 <sup>19</sup> Editeque signa magna, aded vt etiam  
ignem faciat e caelo descendere in terram in  
conspectu hominum.

14 Et seducit incolas terrae, propter signa  
quae datum est ei vt faciat in conspectu bestiae,  
dicens incolis terrae vt faciant <sup>20</sup> imaginem  
<sup>21</sup> bestiae quae gladio vulnerata fuit, sed reuixit.

15 <sup>22</sup> Datumque est ei vt <sup>a</sup> animaret imagi-  
nem bestiae, vt etiam loquatur imago bestiae, &  
faciat vt quicumque non adorant imaginem  
bestiae, occidantur.

16 <sup>23</sup> Sed & facit vt omnes, parui & magni,  
diuites & pauperes, liberi & serui accipiant  
<sup>b</sup> <sup>24</sup> characterem in manu sua dextra, aut in  
frontibus suis.

17 Et nequis possit <sup>25</sup> emere aut vendere,  
nisi qui habeat <sup>26</sup> characterem aut nomen be-  
stiae, aut numerum nominis eius.

18 <sup>27</sup> Hic sapientia est. Qui intelligentia  
praeditus est, computet numerum bestiae: <sup>28</sup> nu-  
merus enim hominis est: & numerus eius, sex-  
centa sexaginta sex.



1 Exposito Ecclesie Christiane ortu, & conditione Ecclesie illius unde ortum ducit nostra, iam ad historiam progressus transit Apostolus, ut in principium superioris cap. ostendimus. Atque hac quidem historia de progressu Ecclesie & certaminibus ipsius in hoc cap. exponitur, sed distinctè duobus membris: quorum unum est de imperio civili Romano, ad vers. 10. usque: alterum, de corpore Ecclesiastico, siue prophetico, inde ad finem cap. In priore membro narrantur ista: primum status illius imperii, 4. versibus: deinde res gesta, 3. versibus: tum effectus; gloria amplissima, vers. 8. postremo autè usus, & piorum institutio aduersus mala ab eo superuentura denunciatur, vers. 9. & 10. Status historia continet amplissimam descriptionem bestie, primum integra, vers. 1. & 2. tum etiam instaurata, vers. 3. & 4.

2 super cuius arenam stabat diabolus novas procellas in Ecclesiam moliens, proxime precedente vers. quo tempore imperium Rom. intestinis discidiis periclitatum est, fluctuauitque vehementissime, & noua subinde capita, nouos Imperatores expertum est. vide infra 17. 8.

3 ea ipsa potentia & prouidentie administrationisq; peritissima instrumenta habens, quæ dictus est habere draco, sup. 12. 3.

4 Draconi septem diademata capitibus septem leguntur imposita sup. 12. 3. quia dominum se affirmat prædo proprietarium, principemque mundi: huic verò bestie diademata nominantur decem, cornibus singulis



non capitibus imposita, quia bestia est draconis beneficiaria, vers. 2. nec aliter hac regnat quam lege fiducia-  
ria ab illo dicta, nempe ut cornibus suis in Ecclesiam  
Dei abutatur. Sumtum ex prisco ritu & athena for-  
mula: qua Reges αὐτοκρατορες caput diademate so-  
lebant cingere, vasalli vero & fiduciarii capitium.  
Sic enim diadema isti deponebant commode, quum in  
dominorum suorum conspectu comparerent: quem-  
admodum & Seniores adorantes Deum qui insidebat  
throno, coronas suas coram eo dicuntur abiecisse, su-  
pra 4. 10.

5 contra quam olim Deus inscribi iusserat cidari  
Sacerdotis summi, Sanctitas Iehouæ. Est autem  
nomen blasphemie a dracone inditum, illud (opinor)  
quod ait Paulus 2. Thess. 2. tamquam Deus sedes,  
præ se ferens se esse Deum. Nam istud nomen  
blasphemie & Romani Imp. iam tum sibi vindica-  
runt, prout de Caligula & Domitiano Suetonius &  
Dion narrant: & post eos, Rom. Pontifices pleno ore  
de se hoc ipsum predicarunt, quum res diuinas sibi ar-  
rogarent: quo genere enunciatorum sextus Decretali-  
um, Clementine, & Extrauagantes plena sunt. His  
enim id non fuit satis quod Anglicus in poetria cecinit  
(cuius principium est, Papa stupor mundi) Nec De-  
us es, nec homo: quasi neuter es inter vtrumq;  
ut glossa in sextum agnoscit: sed nomen ipsum Dei au-  
sus est sibi assumere, & tribuentibus annuere: quem-  
admodum Sixto quarto antè annos fermè 120. Ro-  
mam primùm ingressuro in dignitate illa (ut putant)  
Pontificia, factus est arcus triumphalis, & porta Rom.  
qua erat ingressurus, artificiosè impactus, cum inscri-  
ptione blasphemie istius distichi,



Oraclo vocis mundi moderaris habenas,  
Et meritò in terris crederis esse Deus.

*Hec & sexcenta consimilia quis modestia illi deputet, qua seruos seruorum Dei se appellari olim volebant boni? Aut hoc certè blasphemia nomen est, aut nullum est.*

*6 velox ut pardus, commodè manu prehensens omnia ut ursus pede, & ore conterens exedensque ut leo.*

*7 id est, communicauit utendam, quum effugere se non posse animaduerneret, quum prehenderetur Angeli manu & in abyssum coniceretur, infra 20. non autem abiicit a sese planè, quin ipse quoque, dum posset, vteretur.*

*8 Hic alter locus ad descriptionem bestiae Rom. perti- nens, quod praeter natiuam illam quãdam dignitatem & amplitudinem Rom. imperii, quae duobus vers. praecedentibus fuit adumbrata, accessit altera quasi mira- culosa, quod unum caput quasi lethaliter casum, & quasi diuinitus curatum est ante oculos omnium. Est autem hoc caput Nero, in quo stirps illa Caesarum de imperio decidit, & gubernacula Reipub. fuerunt ad alios transportata: in quorum manu ita curatum est re- ualuitq; imperium, ut eo firmitus radicatum ac funda- tum quam unquam antea omnibus videretur. Atque hinc effecta illa consequuta sunt, quae mox subnectun- tur: primum admiratio quasi sacra & diuina cuius- dam virtutis imperium illud fulcientis regentisque: se- cundo obsequium uniuersa terra, hoc vers. tertio dra- conis adoratio, & impia demonomania ab Imp. Rom. confirmata: postremo ipsius bestiae adoratio; quae in tan- tam venit existimationem, ut ei diuina nomina & cul- tus*



ius diuinus tribuerentur, seq. versu. Atque hanc religionem mentibus hominum due cause dicuntur iniectisse: species dignitatis, qua reuerentiam adfert: & species potentia inexpugnabilis, qua metum. Quis similis, aiunt illi, bestia? quis poterit pugnare cum ea?

9 Secundum membrum historiam rerum a bestia gestarum continens, ut diximus in versum 1. Earum autem historia duabus partibus concluditur: principio, & modo ipsarum. Principium est communicatio draconis, qui & impietatem in Deum, & inhumanitatem iniustitiamque in omnibus, praesertim vero in pios & domesticos fidei, indidit & inspirauit bestia, vers. 5. Modus rerum gestarum siue actionum est duplex: tum impius animo & sermone blasphemus, omnino denique contumeliosissimus in Deum, Ecclesiam, pios, vers. 6. tum operibus atrocissimus & iniustissimus, qualia ab insensissimis hostibus & victoribus insolentissimis perpetrantur, vers. 7.

10 nempe actiones suas. de illis autem mensibus quadraginta duobus diximus ante in II. 2.

11 id est, Ecclesiam sanctam, veram Dei uiuentis domum.

12 id est, pios singulos latitantes a crudelitate eius. Nam innumeris criminibus cruenta haec bestia sanctas illas animas obruebat mentiendo propter nomen Christi: ut apud Iustinum martyrem, Tertullianum, Arnobium, Minucium, Eusebium, Augustinum de ciuit. Dei, & alios legimus. Quod exemplum posteriora secula diligentissime perdendo ouili Christi sequuta sunt, & nos memoria nostra cum incredibili dolore experti sumus. de calo autem vide supra in II. 12.



13 id est, qui non sunt ab aeterno electi in Christo Iesu: hic enim Agnus mactatus ille est, de quo supra 5. 6. Hæc autem verba cum Areta distinguo in hunc modum, quorum nomina non sunt scripta inde a iactis fundamentis mundi in libro vitæ Agni illius mactati: atque hæc distinctio simili loco infra 17. 8. confirmatur.

14 Conclusio huius sermonis de priore bestia, bi-membris: hortatione ad audientiam attentam, hoc ver. & prædictione constans, partim comminationum aduersus impios, partimque consolationum ad eos qui in tolerantia & fide expectauerint gloriosum illum aduentum Domini nostri & Seruatoris Christi, vers. sequente.

15 Secundum visionis membrum, de imperio Ecclesiastico, quod Roma successit politico, & penes corpus pseudoprophetarum est falsæq; doctrina artificum. Quapropter eadem bestia, idemque corpus etiam a Ioanne donatur pseudoprophetae appellatione, infra 16. 13. & 19. 20. Huius autem bestia primū species describitur, hoc vers. deinde res gestæ illius, sequentibus: & sermo totus concluditur vers. ultimo. Est autem ortu hæc bestia, terra (ut loquuntur) filia, ἡ γῆ, obscure nata, & pederentim emergens ex abiectioe sua.

16 id est, specie quidem Agnum simulabat (quid enim mirius, quid abiectius, quam seruum esse seruorum Dei?) sed re draconem agebat, & lupum, Matth. 7. 15. ipse enim Satanas transfiguratur sese in Angelum lucis, 2. Corinth. 11. 14. quid discipuli probi eius, seruuliq; faciant?

17 Rerum a bestia hac gestarum historia ad tria capita summatim pertinet, hypocrisin, signorum fidem, atque



atque tyrannidem: quarum prima, hoc vers. secunda, tribus sequentib. tertia, vers. 16. & 17. exponitur. Hypocrisis illa est mendacissima, qua & priorem bestiam ludificatur & uniuersum mundum, quod etsi ex prioris bestia arte sua, ut calce, miserrimum effecit σκέλετον, omnem potestatem illius usurpauit sibi, eamque uidente & spectante illa exercet impudentissime; sic tamen præ se fert ac si honore summo prosequeretur ipsam, & ab omnibus coli optima fide procuraret.

18 Nam Romana isti bestia, qua ἐκ πολιτικῆς ἀρχῆς facta est ἱεραρχία, diuini honores tribuuntur, & diuina planè auctoritas, adeò ut etiam supra Scripturas credatur esse: quod vel impio hoc versu glossa Decretalium testatur, Articulos soluit, synodumque facit generalem, de potentia Papali dicto. Sic ortu, fundamento, sede, re denique ipsa bestia una est: speciem & modum solum uariavit Pontifex, qui idem est imperii illius tyrannici, & pseudoprophetarum caput: nam illud imperium assumpsit sibi, hoc uero artificium adiecit illi. Ista autem uerba, cuius curata fuerat plaga lethalis, hic ponuntur διακελευσῶς, & post aliquoties, ut iam eo tempore lectores pii quasi in rem presentem ducerentur hoc signo. q. d. ut adorent, hoc ipsum imperium quod nunc est, cuius caput exsecutum memoria nostra curatumque uidimus.

19 Secundum rerum à bestia hac gestarum caput est ingentium signorum fides, ad confirmandam impietatem istam pertinentium: quorum alia supernè data sunt, ut ignis e celo demissus dicitur falsis prestigiis, hoc versu: alia hic exhibita in conspectu bestia, ad stabiendam idololatriam & animas seducendas: quam



partem incipiens à posteriori (ut loquuntur) narrat Iohannes hoc modo: 1. effectus demonstratur his verbis, seducit incolas terræ. 2. communis modus efficiendi duplex: unus, signorum, propter signa quæ datum est ei ut faciat in conspectu bestię: alter, sermonis ad signa accedentis, & docentis idololatriam signis confirmatam, dicens incolis terræ, ut faciant imaginem illi bestię quæ, &c. 3. singularis modus exponitur, quòd datum est ei ut animaret imaginem bestię, & quidem animatione eiusmodi, ut ea tum loquatur respondens consulentibus, tum mortem immorigeris, nec ipsam adorantibus, pronunciet: quæ omnia signis falsis, procurante & inspirante diabolo in imaginibus, non rarò effecta sunt. Horum enim signorum exemplis plena sunt historia Pontificiorum plerisque fictis, aliis etiam factis per diabolum in imaginibus, ut in serpente olim, Genes. 3. quibus exemplis non bestię auctoritas, sed Dei harumque predictionum a Deo veritas confirmatur.

20 id est, imagines, per enallagen numeri: nam harum cultus inde a Concilio Niceno secundo contra legem Dei institutus est fide & auctoritate publica.

21 tertio casu in Græco dictum, pro eo quod est, ad cultum honorémque & obsequium illius: nam hac imaginum propugnatione bestia hæc pseudoprophetica Romana bestia commodat potentissimè, abs qua iam olim eas acceperat: quapropter optimè deinceps imago bestię appellatur, cum imagines ortum a bestia, modum ex voluntate bestię, finemque in commodis bestię habeant positum.

22 Et de hoc signo imaginum bestię, id est, quas bestia posuit statum inandæ idololatriæ, miraculose loquentiur



quentium & iudicantium, vel potius mirificè, pseudo-  
prophetarum fraudibus, pleni Pontifici in unum libri.

23 Tertius locus, impia tyrannis & insolentissima,  
ut antè dictum, in personas, hoc vers. & in res actiones-  
que earum usurpata, seq. vers. Nam & personarum  
omnium tyrannicam mancipatione dicitur facere, ut  
tanquam stigmatie isti bestie seruiant: & in res actio-  
nesque omnium tum promercalem abusum exercere  
indulgentiarum dispensationumque (ut vocant) erga  
suos, tum in alios interdicta exercere violentissima, di-  
rasque eiaculari etiam in naturalibus & civilibus, pri-  
uatis & publicis bona fidei contractibus.

24 id est, chrisma illud suum, quo in Sacramento  
(ut vocant) Confirmationis, personas & actiones obfi-  
gnando earum frontem manumque mancipant sibi, &  
signum Christi de quo supra 7. 3. sanctumque bap-  
tismum nostrum faciunt irritum. Nam quos Christus  
baptismo adiunxit sibi, hos bestia hæc Confirmatione  
vindicat, quam Baptismo non dubitat auctoritate &  
efficacia preponere.

25 id est, liberum vllum cōmercium aut consuetu-  
dinem habere cum hominibus, nisi qui Cōfirmationem  
illam & consecrationem clericalis tonsuræ, quam vo-  
cant, habuerint. Legatur Gratianus de consecrat. di-  
stinct. 5. c. omnes spiritus sanctus, & c. de his.

26 Hic desiderantur tria a pseudoprophetis, qua  
per incrementum enunciantur, character, nomen, &  
numerus nominis. Sensus est, nisi qui habeat primum  
Confirmationem & clericalem illam tonsuram, secun-  
do ordines sacros, quorum perceptione participatur  
nomen illud bestie: aut denique nisi gradum summum  
scientiæ illius Pontificiæ, & iuris (ut vocant) Canonici,



mysteriaq; illius quasi in numerato habeat: in his enim est numerus nominis illius. Atque hoc sequens versus exprime ἐξήγησάντων.

27 id est, in hoc numero bestiae consistit Pontificia illa sapientia, qua summa illis quidem videtur esse. Exponit his verbis Ioannes antecedens illud dictum de numero bestiae, quid habeat supra characterem aut nomen illius. Haec, inquit Ioannes, character & nomen bestiae facile cuius contingunt: sed in numero bestiae habendo est sapientia: non nisi sapientum ac intelligentium est numerum illum assequi: doctores sunt illuminatissimi qui assequuntur ipsum: ut sequentia verba monstrant.

28 Quantus, & quotus sit numerus bestiae, ex quo bestia numerat sapientiam suam, his verbis exponitur. Quantus est, rogas? tantus ut hominem totum occupet, homo semper discat, & nunquam ad eius cognitionem veniat: vir sit oportet, qui numerum illum assequitur. Quotus autem? nempe senarius per omnia, & perfecte resultans ex omnibus suis partibus aliquotis, ut vocant: senarius per monadas, decurias, centurias, &c. adeo ut nulla pars aliquota sit in disciplina & ordine Pontificio, que ad suum caput ac veluti summam minime referatur aut contineatur ea: tam bene in hac Hierarchia respondent omnia inter se, & capiti suo. Itaque senario numero trux illa bestia Bonifacius VIII. Decretales a se absolutas predicat in proemio sexti: Quem librum, inquit, quinque libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum, censuimus Sextum nuncupari, ut idem volumen senarium (qui numerus est perfectus) librorum, illo adiuncto, numerum comprehendens,



dens, perfectam in rebus agendis formam tribuat, & in moribus disciplinam. Hic igitur ille est numerus bestiae suas partes de se fundentis, & omnibus ad se prudentissimè sagacissimèque reducentis disciplina sua. Consulatur, si quis plura desiderauerit, glossa in eundem locum. Non sum nescius alias huius loci interpretationes adferri: sed bona omnium pace meam sententiam duxi in medium sine cuiusquam offensa conferendam: idque hac causa adductus maximè, quod mihi nec probabile videtur, nec verisimile, numerum bestiae, siue nominis bestiae accipi, ut vulgus interpretum putauit, oportere. Nam hunc numerum bestia docet, dat, imprimat, ut notam publicam suorum, eamque notam maximi pra aliis facit, ut dilectissimorum suorum notam. Illae autem interpretationes ab hac proprietate & conditione illius numeri videntur abluere: siue ad nomen Latini, siue Titanis, siue aliud aliquid respexeris. Hae enim bestia non docet, dat, imprimat, sed doceri vetat diligentissimè, & audacter negat: non probat, sed improbat: & eos qui de hoc numero sic cogitant, odio plus quam Vatiniano persequitur.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Vitam inderet, nempe sicut Iannes & Iambres Moysi prodigia imitabantur. <sup>b</sup> Notam nominis bestiae.

## CAPVT DECIMUMQUARTVM.

2 Agnostante super montem Sion, 4 unâ cum castis suis cultoribus, 6 Angelus vnus Euangelium nūnciat. 8 Alius Babylonis casum praedicit. 9 Tertius bestiam vitari monet. 13 Vox e celo beatos illos pronūnciat: qui Domini causa moriuntur. 16 Mit-

F



titur postea falx Domini in messem, 18 & in vindemiam.

1 **T**Vnc vidi, & ecce aderat Agnus 2 stans super montē Sion, & cum eo 3 centum quadraginta quatuor millia habentia nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.

2 Et audiui vocem ē cælo tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam sonum tonitruum magni: & vocem audiui citharædorum pulsantium citharas suas:

3 Et qui canebant quasi canticum nouum ante thronum, & in conspectu quatuor illorum animalium, & illorum Seniorum: neque quisquam poterat discere canticum illud nisi illa centum quadraginta quatuor millia, ii videlicet qui emti sunt ē terra:

4 Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati: virgines enim sunt. hi sequuntur Agnum quocumque ierit: hi emti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & Agno sacra:

5 Et in quorum ore non est inuentus dolus: sunt enim inculpati ante thronum Dei.

6 4 Deinde vidi 5 alium Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret incolis terræ & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo:

7 Dicentem magna voce, Timete Deum, & ei tribuite gloriam: nam venit hora iudicii eius: & adorete eum qui fecit cælum & terram & mare & fontes aquarum.

8 Et alius Angelus sequutus est, dicens, 6 Cecidit Babylon, vrbs illa magna, quia vinum excande-



candescencia<sup>a</sup> scortationis suae potanduna  
praebuit omnibus gentibus.

9 Et tertius Angelus sequutus est illos, di-  
cens voce magna, Siquis <sup>7</sup> adorauerit bestiam  
& imaginem eius, & acceperit characterem in  
fronte sua aut in manu sua,

10 Biber hic quoque ex vino irae Dei, ex  
mero, *inquam*, infuso in poculum irae ipsius, &  
cruciabitur igne & sulphure in conspectu An-  
gelorum sanctorum, & in conspectu Agni.

11 Et fumus cruciatus eorum ascendet in se-  
cula seculorum: nec habebunt requiem die  
nec nocte qui adorant bestiam & imaginem  
eius, & si quis acceperit characterem nominis  
eius.

12 <sup>8</sup> Hic tolerantia sanctorum est: hic qui  
obseruant mandata Dei, & fidem Iesu.

13 Tunc audiui vocem e caelo, dicentem mi-  
hi, Scribe, Beati ab hoc tempore mortui ii, qui  
<sup>b</sup> Domini causa moriuntur. Etiam, dicit Spiri-  
tus: vt requiescant à laboribus suis: & <sup>c</sup> opera  
eorum sequuntur eos.

14 <sup>9</sup> Aspexi autem, & ecce *aderat* <sup>10</sup> nubes  
candida: & super nubem sedebat *quidam* similis  
homini, <sup>11</sup> habens impositam capiti suo coro-  
nam auream, & in manu sua <sup>12</sup> falcem acutam.

15 <sup>13</sup> Et alius Angelus prodiit e templo, cla-  
mans voce magna ad eum qui insidebat nubi,  
Mitre falcem tuam, & mete: quia venit tibi ho-  
ra vt metas: nam aruit messis terrae.

16 Misit igitur is qui insidebat nubi falcem  
suam in terram: & demessa est terra.



17 <sup>14</sup> Tum alius Angelus prodiit e templo quod est in caelo, habens & ipse falcem acutam.

18 Et alius Angelus prodiit ab altari, habens potestatem in ignem: & clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botos vineae terrae: nam maturae sunt eius vuae.

19 Misit igitur Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terrae, & misit in magnum illum lacum irae Dei.

20 Et calcatus est lacus extra ciuitatē: <sup>15</sup> exiuitque sanguis e lacu vsq; ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput decimumquartum.

1 *Absoluta historia Ecclesie Christi ad annos amplius mille trecentos, quo tempore Bonifacium VIII. vixisse antè ostendimus; reliqua demum historia sequitur certantis seu militantis Ecclesie, inde ad tempora vsque victoriae vltimæ, 3. capitibus. Nam primum quasi fundamentum totius historie, Agni illius constitutio cum copiis & comitatu eius describitur, 5. versib. deinde verò res gesta illius, quas fecit, & facit adhuc potentissime: dum Antichristum fundit spiritus oris sui, hoc cap. reliquo, & duob. sequentib. Ad descriptionem Agni ponuntur tria: situs, locus, & comitatus ipsius: quia cetera exposita sunt, visis antecedentibus, præsertim verò in cap. 5.*

2 *quasi accinctus ad opus suum patrandum, ut Act. 7.*



Act. 7, 56. in medio Ecclesie suae, quam olim adumbrabat Sion.

3 ut supra 7. 2. Hic verò comitatus Agni circumscribitur primùm diuino (ut supra 7. 2.) signaculo, hoc versu: deinde occupatione sancta ipsius, quod cuncti & singuli in eo comitatu contentissimè suauissimèque, ver. 2. cantico singulari coram Deo & Angelis electis eius Agnum glorificant, quod canticum caro & sanguis exaudire non potest, nec intelligere, vers. 3. postremò rebus eorum antegestis & sanctificatione ipsorum: quod virgines fuerint, a scortatione spirituali & corporali, id est, impietate & iniustitia integri: quod Agnum ducem omnis boni sequuti sint heredes ei: quod ei sint sacri, tamquam redempti ab eo per gratiam: quod ista omnia, sanctificationem vitæ, ductum Agni, & *ὁμοεισία* redemptionis illius, in veritate coluerint & simplicitate Christi: denique (ut generatim absoluantur) quod inculpati sint coram Domino, vers. 4. & 5.

4 Altera pars, ut diximus in versum 1. de rebus gestis Agni. Earum modus exponitur duplex, sermonum, factorumque. Sermones ad versum 13. huius capituli; facta ad caput 16. explicantur. Sermone autem Agni, qui idem sermo est Euangelii, docentur hoc in loco ista: piorum officium in reuerentia Dei intus, foris glorificatione positum, quarum symbolum adoratio, vers. 7. impia Babylonis euersio, vers. 8. & impiorum quoque singulorum casus bestiam adorantium, vers. 9. & 2. sequentibus: postremò piorum Dei seruorum status tum presens, vers. 12. tum futurus beatissimus ex promissione Dei, vers. 13.

5 typum bonorum fideliumque seruorum Dei. quos Deus maxime à tempore Bonifacii illius VIII.



excitavit ad promulgandum Euangelium Christi sermone & scriptis. Sic Deus primum proxime Bonifacii illius tempora Petro Cassiodoro Italo, post Arnolfo de villa nova Gallo, tum Uckamo, Dante, Petrarca, exinde Ioanne de rupe casa Franciscano, postmodum Ioanne Vikleso Anglo, & sic deinceps his & illis usus est ad restitutionem veritatis & amplificationem Ecclesie sue.

6 id est, actum est de Babylone sententia & iudicio Dei: cuius exsequutionem describit Joannes cap. 18. Atque hac vox Ministrorum successit, ex quo lucem Euangelii diuinitus oblatam Babylon certo consilio certaque malitia oppugnauit.

7 id est, Deum solum non adorauerit, sed honores diuinos in bestiam hanc transtulerit, siue ex animo faciat, siue simulata significatione: nam qui me negauerit coram hominibus, ait Christus Matth. 10. hunc ego negaturus sum coram Deo Patre meo & Angelis eius. Atque hac illa vox est sancti ministerii, qua hoc tempore plurimum utuntur pii & fideles serui Dei. Animaduersa enim iam satis publica Babylonis obfirmatione, non laborant ut in eam deinceps amplius intendant; sed priuata membra terrore seruaturi (ut loquitur Iudas) & ex flamma publica rapturi, aut seria commiseratione abducturi ostendunt eis mortem eternam quò imprudentes ruunt, nisi tempestiue ad Deum reuertantur: pios verò de grege suo ad tolerantiam, obsequium, & fidem Domini Iesu cohortantur, suoque exemplo aliis iubent praeuicere.

8 Patientia, sanctificatio, & iustitia ex fide: quarum consuetaria quies, felicitas, & gloria eterna in caelesti Dei Angelorumque consortio.



9 Secunda pars capituli, ut diximus in vers. 1. de rebus gestis vel factis Christi in fundendo Antichristo Ecclesiaeque illius Spiritu oris diuini eius, postquam sermone publice priuatimque reuocatus ad officium suum, edoctus certissimam ruinam suam, non desinit suos sibi vindicare, & pios infestare atrocissimis persecutionibus. Earum autem rerum quas gerit Christus duo sunt genera: unum, commune, hoc cap. reliquo: alterum, singulare in feram illam & contumacem bestiam, atque adoratores illius, capitibus 2. seq. Communis est bellorum calamitas uniuersam terram peruadens, omniaque cruentans promiscue. Hec autem duobus typis figuratur, messis & vindemie. Quantum uero, ex quo tempore emicuit lux illa Euangelii, & prophetia per Dei gratiam resurrexit, quantum, inquam, bellorum exarserit in orbe terrarum, quantum humane carnis messe diuina prostratum fuerit, quantum sanguinis (proh dolor) exundauerit ab annis ferme trecentis, clamant omnes historiae, & tempora haec nostra, si unquam, horrēt istius falcis, quam Antichristus aduocat, uehementia. Est autem hoc in loco prior typus, messis.

10 ardorem suum colore indicans, ut sit in galaxia lacteae circulo.

11 tamquam à Deo regnaturus, & Christi funditur vicem in miserabili ista exsecutione.

12 comodissimū exsecutionis diuinae instrumentū, perdes casum & punctum omnia. Deo enim quis obsistat?

13 Dat Christus mandata, hoc vers. exsequitur Angelus, vers. seq.

14 Alter typus, ut diximus in vers. 14. vindemia; cuius eadem est planè cum precedente ratio, si hoc exceperis, quod curiosior messe est in peruestigandis singulis



*racematio. Hoc ergo iudicium grauius, tum quia priori succedit, tum quia fieri intelligitur quàm antè, accuratiùs.*

*is id est, quàm altissimè, longissimè, latissimèq; exundauit. Hyperbole. Atque hi suauis illi sunt, fructus spreti Christi, & præoptati Antichristi, quos miser & insanus & cæcus hoc tempore decerpit mundus.*

BEZÆ ET ALIORVM.

*a* Scortationis suæ, qua Deus est ad iram inflammatus. *b* Ad verbum in Domino, id est, propter Dominum. *c* Operum nomine, præmium intelligit quod bona opera consequitur.

CAPVT DECIMVM QVINIVM.

*1* Apparent septem Angeli habentes plagas septem ultimas. *3* Victores bestie Deum laudant. *6* Angelis septem dantur septem diuini furoris phiale.

**1** D E inde vidi aliud signum in cælo magnum & admirabile: *2* Angelos illos septem, habentes plagas septem ultimas, quoniam per illas expleta est ira Dei.

*2* *3* Et vidi *4* tamquam mare vitreum mixtum igni: & *5* eos qui victoriam reportabant ex bestia illa & imagine eius & charactere eius, *6* stantes apud mare vitreum, & habentes citharas Dei:

*3* Qui etiam cantabant *7* canticum Moysis *a* serui Dei, & canticum Agni, dicentes, *8* Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, iustæ & veræ sunt *b* viæ tuæ, rex sanctorum.

*4* Quis non timebit te Domine, & glorificabit nomen tuum? Nam solus sanctus es, Nam  
omnes



omnes gentes venient & adorabunt coram te: nam iudicia tua patefacta sunt.

5<sup>o</sup> Et post hæc aspexi, & ecce, apertum est templum Tabernaculi testimonii in cælo.

6 Et prodierunt e templo septem illi Angeli, habentes <sup>10</sup> septem plagas, induti <sup>11</sup> lino puro & splendido, & <sup>12</sup> præcincti circa pectorationis aureis.

7 Et unum ex <sup>13</sup> quatuor animalibus dedit septem Angelis phialas aureas, plenas iræ Dei viuentis in secula seculorum.

8 Et impletum est templum fumo *prodeunte* à maiestate Dei, & à virtute eius: <sup>14</sup> nec quisquam poterat ingredi in templum, donec explerentur septem plagæ septem Angelorum.

FRANC. IUNII NOTÆ,  
In Caput decimumquintum.

1 *Rerum gestarum Christi locus alter, ut supra diximus in 14. 14. Narratur ergo deinceps singulare opus iudiciorum Dei, ad fundendum Antichristum cum eius copiis pertinens: cuius operis diuini præparatio, hoc cap. exsequutio, cap. seq. describitur. Hæc autem præparatio primùm quidem vniuersè ἡ ἐν τῷ πῶ exponitur vers. 1. deinde minutatim enarratur, reliquo cap.*

2 *de quibus sup. cap. 8. & 9. in plagis mundi effundendis: nam etiam hæc plagæ illis plurimùm respondent.*

3 *Enarrationis partes duæ: una sanctorum confessio glorificantium Deum, visa illa iudiciorum præpa-*



ratione, ad vers. 4. usque; altera, instrumentorum  
quæ Deus ordinavit vocatio, instructio, & confirma-  
tio ad executionem iudiciorum eius, 4. versib. alteris.

4 Alludit hæc pars visionis ad mare æneum, ex quo  
in aditu Israhelitarum templi abluabantur Sacerdotes.  
In aditu enim celestis templi (ut appellatur infra vers.  
5.) fuisse dicitur mare vitreum, id est, lucidissimum &  
διὰ φάρος αἶον, ad commoditatem delectus: mixtum  
igne, id est, quasi thesaurum capiens iudiciorum Dei,  
quæ depromit & dispensat arbitratus suo. Nam ex illo  
purgabantur Sacerdotes olim, ex hoc perduntur impii.  
sic supra 4. 6.

5 id est, pios martyres Christi, qui bestia illi ne signis  
quidem cesserint. de his autem videndum supra 13. 17.  
& 14. 9. & 10.

6 ex singulari observatione armorum & instru-  
mentorum ire Dei in mari vitreo natantium glorifi-  
cantes Deum.

7 epinicium illud Exod. 15.

8 Cantici partes due: una, confessio tum singularis,  
hoc vers. tum etiam communis, principio sequentis  
vers. altera, causarum narratio ad confessionem perti-  
nentium: quarum unum genus æternum est in se, &  
piis presentissimum, quod Deus est, & sanctus, & so-  
lus: alterum futurum, quod eodem electi ex gentibus (id  
autem est, impiis & infidelibus, ut supra 11. 2.) ma-  
gnificètia iudiciorum Dei erant adducendi. vers.  
seq.

9 Enarrationis pars secunda, ut v. 2. adnotauimus:  
in qua primum argumenti totius auctoritas, præeunte  
typo templi aperti in celo figuratur, ut supra 11. 19. di-  
ctum videlicet omnia illa esse quæ inde processerint, hoc  
vers.



vers. secundo. administri prodeunt e templo, vers. 6.  
 tertio instrumentis iudiciorum Dei & armis conuenientibus cum modo iudiciorum Dei instruuntur, vers. 7.  
 postremo autem confirmantur aspectabilis gloria diuinae testimonio, vers. ultimo: cuiusmodi testimonium in Lege olim exhibuit Deus, Exod. 40.

10 id est, mandata infligendi septem plagas illas: metonymia.

11 quod dignitatis regia olim fuit, aut sacerdotalis symbolum.

12 praecinctio, symbolum diligentiae, & zona aurea, puritatis ac fidei in mandatis Dei capeffendis.

13 de quibus sup. 4. 7.

14 nullus Angelorum septem illorum regredi, nisi absoluto penso ipsorum ex decreto Dei.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Sic vocatur Moses per excellentiam, sicut describitur Deut. 34. 10. <sup>b</sup> Gelta tua.

## CAPVT DECIMVMSEXTVM.

2. 17 Effundunt. Angeli septem commissas sibi furoris diuini phialas: quibus effusis varia plaga in orbe terrarum exoriuntur. 18 ad terrendos improbos, 19 & magne urbis incolas.

1 **T**Vnc audiui vocem magnam e templo, dicentem septem illis Angelis, Ite, effundite septem phialas excandescentiæ Dei in terram.

2 <sup>2</sup> Abiit igitur primus Angelus, & effudit phialam suam in terram: factumque est vlcus malum ac noxium aduersus homines qui ha-



bebant <sup>3</sup> characterem bestiae, & eos qui adorabant imaginem eius.

3 <sup>4</sup> Deinde secundus Angelus effudit phialam suam in mare, <sup>a</sup> factumque est *illud* quasi cruor cadaueris: & <sup>b</sup> quodcunque animal vivebat in mari, mortuum est.

4 <sup>5</sup> Tum tertius Angelus effudit phialam suam in flumina, & in fontes aquarum: & factae sunt sanguis.

5 Et audiui Angelum aquarum dicentem, Iustus es, Domine, Qui es, & Qui eras, & Qui eris, quod haec iudicaris.

6 Quoniam sanguinem sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti ad bibendum: digni enim sunt.

7 <sup>6</sup> Et audiui alium e sanctuario dicentem, Etiam Domine Deus omnipotens, vera *sunt*, & iusta iudicia tua.

8 <sup>7</sup> Postea quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est ei aestu affligere homines per ignem.

9 Et aestuauerunt homines aestu magno, & blasphemarunt nomen Dei habentis potestatem in has plagas: neque resipuerunt ut tribuerent ei gloriam.

10 <sup>8</sup> Tum quintus Angelus effudit phialam suam super thronum bestiae illius, & factum est regnum eius tenebrosum: & mandebant linguas suas pra dolore:

11 Et blasphemarunt Deum caeli pra doloribus suis & ulceribus suis, nec resipuerunt ab operibus suis.

12 <sup>9</sup> Tum



12<sup>9</sup> Tum sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum, *nempe* 10 Euphratem: & 11 exsiccata est aqua eius, 12 vt pararetur via regum ab ortu solis *aduentantium*.

13 Et vidi ex ore 13 draconis & ex ore 14 illius bestię, & ex ore 15 pseudoprophetę illius 16 tres impuros spiritus 17 similes ranis *prodeuntes*.

14 Sunt enim spiritus dęmoniorum edentes signa, qui *que* abeunt ad reges terrę & totius mundi, vt congregent eos ad pręlium magni illius diei Dei omnipotentis.

(15 18 Ecce venio vt fur, Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videantur pudenda ipsius)

16 19 Congregauit igitur eos in locum, qui vocatur Hebraice 20 Armageddon.

17 21 Tum septimus Angelus effudit phialam suam 22 in aërem: & prodiit vox magna e templo cali 23 à throno, dicens, 24 Fuit.

18 25 Factique sunt sonitus, & fulgura, & tonitrua: & terrę motus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram, terrę motus, *inquam*, adeò magnus.

19 Et dirupta est 26 vrbs illa magna in tres partes, & ciuitates 27 Gentium ceciderunt, & 28 Babylon illa magna venit in memoriam in Dei conspectum, vt præberet ei poculum indignationis irę suę.

20 Et omnis insula fugit, & montes 29 non sunt <sup>c</sup> inuenti.

21 30 Et grando magna, quasi <sup>d</sup> talenti pon-



do descendit e caelo in homines: & blasphema-  
ruat Deum homines propter plagam grandinis:  
quoniam magna fuit eius plaga vehementer.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput decimum sextum.

*Superiore cap. constituta est ad opus diuinum præ-  
paratio: hic traditur exsecutio. Ac primum quidem  
hic de exsecutione locus habet mandatum commune,  
in vers. 1. deinde vero singularem exsecutionis ab uno-  
quoque Angelo facta historiam suo ordine, reliquo  
cap. Conuenit autem ferme huic singulari in Anti-  
christum & turbam illius exsecutioni cum ea que in  
mundum communiter effecta legitur, supra 8. & 9.  
eiusdemque plane (nisi me coniectura fallit) est tempo-  
ris. Sed eo tamen inter se differunt, quod hæc in princi-  
pes & coryphæos impietatis mundi singulariter, illa com-  
muniter in mundum impium effecta est: ac proinde  
hæc iudicia acerbiora illis figurantur.*

*2 Primi Angeli historia: à quo immissa plaga is-  
dem propemodum verbis describitur ac illa Egyptio-  
rum sexta, Exo. 9. sed ulcus spirituale significat, lanie-  
namque illam vel carnificinam conscientie κενωθη-  
ειασπιένης que intus impios accusat, & tum sermo-  
nis veritate (cuius facem Deus iam prætulit tamdiu)  
tum acerbitate gladium excitat, emittitque.*

*3 vide supra in cap. 23.*

*4 Secundi Angeli historia, commouentis & infe-  
stantis maria, ut conscientias hominum in vitiositate  
sua torpentium commoueat, sic supra 8. 8.*

*5 Tertii Angeli historia, tum percutientis flumina,  
hoc vers. tum prædicantis iustitiam Dei atque efferen-  
tis per*



tis per grauissimam noxiam hominum & poenae diuinae  
 comparationem: qua huic loco & praecedenti commu-  
 nis est. Quapropter etiam praeconium hoc Angelo  
 aquarum tribuitur: quae appellatio secundi tertiiq; Angeli  
 communis est, prout in aquas uterq; immittendum fuisse di-  
 citur, licet marinas vnus, alter fluminales, duobus vers.

6 Confirmatio antecedentis praedicationis e sanctu-  
 ario Dei, siue per Christum immediate, siue per ali-  
 quem Angelum ipsius: nam & Christus alius Angelus  
 appellatur supra 7.2.3. & 8. & 10.1.

7 Quarti Angeli historia, plaga in caelum solennis-  
 que indita, de qua Luc. 21. 26. cuius effecta ponuntur  
 duo: vnum proprium, quod homines torrefactura sit,  
 hoc vers. alterum καὶ ἀσμήνητος ex superiore pro-  
 ficiscens, quod illorum furor sit eo amplius in Deum ex-  
 arsurus, sequente vers. cum tamen (o admirabilem  
 Dei misericordiam & tolerantiam) omnia prius saepe  
 multumque manu premantur illius, quam humanum  
 genus a quo offenditur, ut docent antecedentia.

8 Quinti Angeli historia, duabus plagis regnum  
 bestiae affligentis, foris tenebris, intus ulceribus dolori-  
 busque grauissimis in vniuerso regno: quibus malorum  
 conscientiam afficeret, & obfirmationem pernicissimam  
 idololatrarum castigaret: unde perturbatio orta, & fu-  
 ribunda ex perturbatione indignatio, insaniaq; ἀμετρε-  
 μέλητ & in Deum frendens, & in se ipsam iniuria.

9 Sexti Angeli historia, facta, & euentu illius di-  
 stincta. Factum est, quod plagam immisit Angelus  
 aestus torridissimi, quo vel maxima flumina aestuque  
 solita exundare (ut Euphrates) exarescunt sunt, con-  
 silio Dei, hoc vers. Euentus autem est illa mera insania  
 qua feruntur impii, ut iudiciis Dei illudant, eaque



furiōse vertant in rem suam, & exsequutionem impiū furoris sui, vers. sequentib.

10 Babylonia spiritualis terminum, & præmunitiones illius, ut supra 9. 14.

11 sic munimentis quibus confiditur sublatis, nudata præsidio Ecclesia impiorum & regnum bestia dicitur.

12 id est, ut etiam longinquissimis maior sit commoditas accurrendi ad sacrificium, quod instituit Dominus.

13 id est, diaboli, ut supra 12.

14 de qua supra 13. 1.

15 id est, bestia alterius, de qua sup. 13. 11. sic enim appellatur etiam infra 19. 20. & 20. 10.

16 id est, singuli suas omnes vires contulerunt, conspiraueruntque, ut signis, sermone, opere in eandem perniciem secum adducerent omnes reges, principes, & potentiores mundi, ab ipsis nefarie fascinosos per suos spiritus & doctores vanitatis, impuritatisque bestia scortantis cum regibus terra. Atque hæc temporum nostrorum descriptio.

17 importunissime coaxantes, diemque & noctem prouocantes, & conclamantes arma, tuba, furia bellica: ut exponitur sequente vers.

18 Parenthesis protreptica, in qua Deus pios seruos suos fretos exspectatione Christi monet, ut semper ad illius aduentum animum attendant, sibi que caueant, ne ab impuris istis spiritibus turpiter nudentur circumuenianturque, & ita miseri imparati sint in aduentu domini sui. sic Matth. 24. & 25.

19 Angelus puta piè, ex mandato Dei sacrificaturi: quamuis impuri illi spiritus idem faciant impiè, bestia illi ἐπικαλόφω, non autem Deo, seruientes.

20 id est,



20 id est (ut de aliis interpretationibus nihil dicam) mons vel montana Megiddonis, siue Megidduntis. Megiddonem siue Megidduntem urbem & agrum esse in tribu Manassis, Issacari & Aseri conterminum, ex sacra scriptura constat, eumque lugubri illa Iosia regis clade celebratum, de qua 2. Reg. 23. 30. & 2. Chron. 35. 22. & Zacar. 12. 11. Ad haec autem montana Deus typicè reges populorum bestiae ministrantes conuenturos dicit, eo quòd illam funestam cladem gentes Ecclesiae Iudeorum semper, tamquam probrosam, obiecerant: ideoque locum sibi ducebant fore auspiciousimum (ut loquuntur illae) & inominatum piis. Hic autem Deus probrum illud Ecclesiae fiduciamque impiorum eo ipso in loco à se sublatum iri pronunciat, ubi gentes sibi exsultaturæ maximè & triumphaturæ videbantur in Deum & Ecclesiam eius.

21 Septimi Angeli historia ad finem usque capituli: in qua primùm quidem signo & sermone ostenditur rei argumentum, hoc vers. deinde narratur exsequutio, sequentibus.

22 unde caelum sursum, terramque deorsum afficeret.

23 id est, ab eo qui insidet throno, metonymicè.

24 id est, actum est de Babylone, ut vers. 19. postea, & sequentibus cap. exponitur. Nam huius denunciationis primus (ut ita dicam) impetus, hoc cap. ultimus victoriam perfectam continens, capitibus reliquis descriptus est.

25 Iam narratur exsequutio, ut diximus in vers. proximum, resque postremo euentura ante euersionem bestiae Babylonicae in caelo & terra: tum communiter, vers. 18. tum verò singulariter in urbe maledicta, cate-



visq; eam contingentibus coniunctione vlla, 3. versib. ultimis.

26 statio illa Antichristi.

27 Antichristo adherentium omnium, & Christum oppugnantium.

28 illa meretrix, de qua proximè sequente cap. Venire autem in memoriam, Hebraismo frequentissimo enunciatur de Deo humanitus.

29 id est, non adfuerunt, non exstiterunt, ampliùs. Hebraismus translatus.

30 Exsequutionis particularis modus iram diuinam evidentissimè testificans ortu & grauitate ipsius: cuius euentus idem est ac supra 9. 13. & qui fuisse dicitur hoc cap. inde a quarti Angeli exsequutione, peruicax mundi in rebellionem sua obfirmatio, & cor impœnitens.

#### B E Z Æ E T A L I O R V M.

<sup>a</sup> Versum est in sanguinem, & eum quidem putrem & saniosum, qualis solet esse cadauerum. <sup>b</sup> Ad verbum, omnis anima, pro omni animante. <sup>c</sup> Disparuerunt: quod Hebræi dicunt, & non ipsi. Gen. 5. 24. <sup>d</sup> Talentaria: erat autem talentum sexaginta minarum, id est sexcentarum drachmarum, vt significetur ingens & inauditum pondus.

#### C A P V T D E C I M V M S E P T I M V M.

1 Describitur meretrix illa magna, 2 cum qua reges terra scortantur, 6 ebria piorum sanguine: 7 & bestia que portat illam: mysterium utriusque 11 & exitium. 14 Postremo agni victoria.

1 **T**VM venit vnus ex septem Angelis qui habebant septem phialas, & loquutus est mecum, dicens mihi, Heus tu, ostendam tibi <sup>a</sup> 2 damnationem meretricis illius magnæ, Teden-



sedentis super aquas multas:

2 Cum qua scortati sunt reges terræ, & cuius scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ.

3 Quumque me per spiritum in desertum transtulisset, vidi mulierem insidentem bestię <sup>b</sup> coccinæ, plenæ nominibus blasphemię, habenti capita septem, & cornua decem.

4 Erat <sup>a</sup> mulier illa <sup>s</sup> amicta purpura & cocco, inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, <sup>6</sup> habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditia scortationis suæ.

5 <sup>7</sup> Et in fronte sua nomen scriptum, Mysterium: <sup>8</sup> Babylon illa magna, mater illa scortationum & abominationum terræ.

6 <sup>9</sup> Et vidi mulierem illam ebriam sanguine sanctorum & sanguine martyrum Iesu: <sup>10</sup> & miratus sum, quum viderem illam, admiratione magna.

7 <sup>11</sup> Tunc dixit mihi Angelus, Quare miraris? ego dicam tibi mysterium mulieris, & bestię quæ portat eam, quæ habet capita septem & cornua decem.

8 <sup>12</sup> Bestia quam vidisti, <sup>13</sup> fuit, & non est: & <sup>14</sup> ascensura est ex abyssu, & in exitum abitura: & mirabuntur incolæ terræ, (quorum nomina scripta non sunt in libro vitæ à iacto mundi fundamento) <sup>15</sup> videntes bestiam quæ erat, & non est, & tamen est.

9 <sup>16</sup> Hic est mens quæ habet sapientiam.



c 17 Septem capita, septem montes sunt super quos mulier sedet.

10 Et 18 reges septem sunt: 19 quinque ceciderunt, 20 vnus est, & 21 alius nondum venit, & quum venerit, oportet illum breue tempus manere.

11 22 Bestia autem quæ erat, & non est, is 23 octauus est, & 24 e septem illis est, 25 & in exitum abit.

12 26 Decem autem cornua quæ vidisti, 27 decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges 28 vna hora accipient cum bestia.

13 Hi 29 vnum consilium habent, & vires ac potestatem suam bestia tradent.

14 Hi cum 30 Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos: quoniam Dominus dominorum est, & rex regum, & qui cum eo sunt, vocati, & electi & fideles.

15 31 Deinde dixit mihi, Aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, 32 populi sunt, & turbæ, & gentes, & linguæ.

16 Et decem 33 cornua quæ vidisti in bestia, hi odio prosequuntur meretricem, & desertam reddent illam & nudam, & carnes eius comedent, & ipsam igne exurent.

17 34 Deus enim dedit in corde eorum vt exsequantur quod ipsi visum est, & vt consentiant, dentque regnum suum bestia, donec compleantur verba Dei.

18 Et mulier quam vidisti, est 35 vrbs illa magna quæ habet regnum super reges terræ.

FRANC.



## In Caput decimumseptimum.

1 Statu Ecclesie certantis seu militantis exposito, sequitur status vincentis, ut ante in principium cap. 10. docuimus. Hic autem capitibus 4. deinceps exponitur. Quemadmodum verò in antecedente loco monuimus non semper accuratè obseruari in historia illa rationem temporum; id ipsum in hac tenendum est, secundùm personas, de quibus agitur, distinctam esse: in singularum verò personarum historia sigillatim seruari tempus. Nam primum traditur historia Babylonis perditæ, hoc & seq. capite (atque hæc proculdubio ante bestias & draconem peritura est) secundo utriusque bestie, cap. 19. postremo autem draconis, cap. 20. In Babylonis spiritualis historia distinctè narrantur, status illius, hoc cap. & subuersio facta diuinitus, cap. seq. Est autem hic transitio ad argumentum primum, hoc & seq. vers. constans ex singulari vocatione propheta, ut antea sepe, & propositione summa.

2 id est, damnandam meretricem, per hypallagen: nam Ioannes eam nondum viderat. Etsi altera interpretatio ferri potest: sed hanc tamen malim.

3 Deinceps proponitur typus Babylonis & status illius, 4. versib. post typi declaratio, reliquo cap. Typo describuntur duo: bestia illa, de qua supra 13. in versu 3. & mulier insidens bestie vers. 4. & duobus seq. Bestie tempore succedente accessit aliquid amplius, quam in superiore visione fuerat expressum: primum quòd coccino vestita est, paludamento imperatorio atque triumphali, antè non legitur: secundo quòd hæc plena est nominibus blasphemie, illa verò in capitibus solùm



gestabat blasphemie nomen. Sic docuit Deus bestiam hanc plurimum impietate iniustitiaque fuisse auctam, & in utraque postremo seculo multo insolentius & fastuosius (ut sit) quam unquam antea, triumphare.

4 meretrix, Babylon spiritualis, Roma. Hec autem describitur ex habitu, professione, & actionibus ipsius.

5 Habitu: gloriosissima, triumphalis, locupletissima, speciosissima.

6 Professione: altrix omnium, hoc vers. & omnes docens mysteria, seq. vers. omnia ostentans magnificentissime: sed re ipsa perniciosissima, soporans peculo suo miseros, veternumque exitialem adferens.

7 Fallens religionis titulo, & inscriptione publica mysterij, quam olim non gestauerat bestia.

8 Exegetis, qua Ioannes exponit quid hoc sit mulieris.

9 Actionibus; rubens sanguine, eumque effundens licentiosissime; ac proinde tincta cruore sanctorum: ut contra sanguine hostium tinctus figuratur Christus Esai. 63. 1.

10 Transitio ad secundum locum cap. occasione per Ioannem data, ut verba Angeliz ostendunt vers. sequente.

11 Secundus locus, ut diximus in vers. 1. visi enarratio, qua promittitur hoc vers. post autem traditur, sequentibus. Traditur autem primum enarratio bestiae, & historia eius, ad versum 14. postea vero meretricis, ad finem cap.

12 Enarratio bestiae triplicem continet circumscriptionem illius. Harum prima est distinctio huius bestiae ab aliis omnibus que fuerunt unquam; qua distinctio

hoc



hoc vers. continetur: secunda est delineatio bestiae ex rebus presentibus, quibus iam eo tempore internosci a pijs posset: atque haec delineatio fit secundum capita illius, vers. 9. & duobus seq. tertia est historica rerum futurarum actionumque ab ea predictio: atque haec cornibus eius tribuitur, ver. 12. & duobus seq. Est autem bestia haec imperium illud Romanum, de quo diximus supra 13. ex cuius mutationibus, quae iam tum acciderant, spiritus sanctus distinxit, & delineavit ipsum. Distinguit vero Apostolus ab omnibus alijs bestiam hanc his verbis, bestia quam vidisti, erat, & non est. Sic enim verba expono Apostoli ad eidentiam, ut sequentibus notis explicabimus.

13. Sensus est, bestia illa quam videras supra 13. 1. & quam modo adhuc vidisti, erat, erat inquam inde a Iulio Caesare secundum principium, ortum, stationem, speciem, imperium, modum stirpemque a gente Iulia: & non est tamen illa ipsa, si ad gentem stirpemque respexeris. Nam gentis huius imperium transiit in gentem alteram Nerone extincto, ab altera in tertiam, a tertia in quartam, & sic deinceps mutationibus innumeris variatum. Denique imperium unum est, tanquam bestia una; sed quamplurimum per gentes, familias, personas variatum. Erat ergo, inquit Ioannes, in gente Iulia: & iam non est penes gentem illam, sed factum est gentis alterius.

14. q. d. & haec ipsa quae est, breui futura non est, sed ascensura ex abyssis, sine e mari (ut dictum est supra 13. 1.) id est, e gentibus promiscue stirps nova; & in exitum abitura perituraque eadem: & ita successive venturi, abituri, exorturi, occasuri principes novi manente tamen corpore bestiae, sed mutationibus adeo frequentibus



ut nemo non sit miraturus stare hanc bestiam in tot mutationibus potuisse. Nullum sanè imperium tot & tantas mutationes expertum, & tot quasi fluctibus in alto agitatum duravit tamdiu.

15 id est, grauissimas & frequentissimas mutationes istas mirabuntur quicumque providentiam Dei secundum fidem sanctorum non didicerint, quum animaduertent eandem bestiam, Romanum istud imperium, fuisse, non esse, esse, perpetuisque mutationibus infestari, atque in eis tamen subsistere. Hæc simplicissima iudicio meo interpretatio, euentu rerum confirmata. Etsi postrema quoque mutatio non obscure his verbis significata est, quum imperium illud ex politico factum est Ecclesiasticum: illud in corpora, hoc etiam in animas; illud humano ordine, hoc etiam iuris diuini ac religionis specie scuiens & cruentans sese priorum sanguine.

16 Hortatio faciens audientiam, eadem argumento cum illa Christi, qui habet aureis ad audiendum, audiat. Quamobrem malum ego quidem hoc in loco legi, hic esto mens quæ h. & c. Sic transitur commodè ad secundum circumscriptionis locum.

17 Hæc delineatio bestiae ex rebus presentibus, ut antè diximus: qua Ioannes eam descriptam voluit, ut tum eo seculo a piis cognosci posset, tum in posteritatem amplius obseruari. Huius autem delineationis typus vnus est, nimirum capita: sed descriptio duplex, siue anagoge typi; vna permanens ex natura, altera facta hominum transiens. Permanens descriptio est ex montibus septem, hoc vers. Transiens vero, ex regibus septem vers. 10. & 11. Atque hic obseruatu dignum, vnus typi duas aut plures anagoges interdum existere, prout  
Spiritus



Spiritui sancto visum est rem unam typis pluribus aut plureis unico adumbrare. Sic supra de spiriibus septem annotauimus cap. 1. 4. Est autem hæc mulier septem montibus insidens, ciuitas Romana, olim ἐπὶ ἑτάλο-  
 Φ & Græcis, Varroni septiceps (ut hic) a septem capitibus, aliis septemcollis dicta.

18 Horum Regum principium siue Imperatorum fermè cum illo Christianæ Ecclesiæ principio idem est quod antè exposuimus cap. 11. 1. nempe ex anno 35. post passionem Domini, quum templum & Ecclesiæ Iudeorum euersa est: quo anno factū est prouidentia Dei ut compleretur prius illud dictum, bestia erat & nō est; quàm Iudeorum euersio proximè sequuta accideret. Is autem fuit annus ab urbe condita 1555. IX. ex quo anno Ioannes tum Imperatores numerat qui adhuc exstiterunt quum hæc scriberet, tum duos prædicit proximè futuros: idque hoc consilio ut hæc prædictio singularis rerum futurarum quando euenisset, veritas aliarum prædictionum omnium in Ecclesiæ confirmaretur magis: quod signum Lege indixerat iam olim Deus Deuter. 18. & confirmat Ieremias 28. 8.

19 quorum hæc sunt nomina: primus Ser. Sulpicius Galba, septimus Imperator populi Romani: secundus, M. Saluius Otho: tertius, A. Vitellius: quartus, T. Flavius Vespasianus: quintus, Titus T. f. Vespasianus, ut pater, dictus.

20 Flavius Domitianus Vespasiani prioris filius: nam huius temporibus ultimis hæc scribebat Ioannes, ut auctor est Irenæus libro 5. aduersus hæreses.

21 Nerva, imperio a gente Flauia translato. hic autem imperauit solum annum unum, menses quatuor & dies nouem, ut narrant historici.



22 dictum synecdochicè, pro eo quod est, bestia caput illud quod erat & non est, quia putatum est, & Nerua tam breui extinctus. Quot autem capita, tot bestia esse in una videbantur. simile vide sup. 13. 3.

23 Nerua Traianus, qui hic vario respectu septimus & octavus idem appellatur.

24 etsi numero & successionis ordine octavus est, tamen uni ex istis capitibus accensetur, quia Nerua & ipse unum fuerunt caput. Hic enim una cum Nerua potestatem obtinuit; & consulatu cum eo fungebatur, quando Nerua vita defunctus est.

25 nimirum persecutione infestaturus Ecclesias Christi, ut docent historia, & nos supra 2. 10. perstrinximus.

26 Tertius circumscriptionis locus, ut diximus in versum 8. prophetica rerum futurarum, quas gestura est bestia, predictio: quemadmodum verbis sequentibus non obscure Ioannes effatur dicens, qui regnum nondum acceperunt, &c. horum enim regum instituitur cum superioribus antithesis. Circumscribuntur autem primùm persone, hoc vers. deinde facta, duobus sequentibus.

27 nempe cum suis regnis ex Rom. illa bestia sobolescentes, quum politicum illud imperium arte Pontificum maximè coepit labascere.

28 nempe cum bestia illa secunda, quam pseudo-prophetissam esse diximus; quæ bestia ascendens e terra omnem potestatem prioris bestia vindicavit sibi, eamq; exercet coram ipsa, ut dictum est supra 14. 11. & 12. Nam inclinante politico imperio Occidentali & Reges enati sunt decem, & secunda bestia oblatam commodita-

modita-



moditatem arripuit, ut omnem prioris bestiae potentiam sibi usurparet. Hos autem Reges decem iam olim numerauerunt & circumscripserunt multi: & pars bona euentorum aperte clamat hac aetate nostra.

29. prout consensione, ut conspirent cum bestia, & pendeant a nutu illius. Eorum autem historia tribus partibus discluditur; consiliis, factis, & euentis. Consiliorum alia in communicatione iudiciorum animorumque posita sunt, alia in communicatione virium, quas illi huic bestiae dicuntur tradidisse, hoc vers.

30. Christo & Ecclesiae eius, ut sequens aīrov declarat. Atque hic facta, & euenta illorum propter Christum & gratiam Dei Patris erga vocatos, electos, & fideles suos in Christo consequuta.

31. Alterum enarrationis membrum, ut in vers. 7. diximus, ad meretricem spectans visione oblatam, vers. 3. In hac autem historia meretricis, distincte haec tria proponuntur: quae amplitudo illius, hoc vers. quae ruina, & a quibus illi superuentura sit duobus seq. ac postremo quanam sit illa meretrix, vers. ultimo. Hic autem locus (quem natura ordine primum esse oportebat) ultimus eo factus est, quod ad vinculum sequentis cap. magis pertineret.

32. nempe tam instabiles & varij, quam sunt aquae: huic autem fundamento meretrix regina insidet, vana vano.

33. reges decem, ut supra vers. 12. huius autem facti atque euentus complementum in dies prouehitur hoc nostro seculo, singulari prouidentia & gubernatione Dei potentissima: quae propter facta hoc vers. proponuntur; causa vero factorum, sequentibus.

34. Aetiologia a summa effectrice causa, nimirum



providentia Dei: qua sola Ioannes ὑπερον πρότερον affirmat effectum esse, tum ut exsequantur Reges in meretricem quod ipsi placuit, & quod enunciauit proximo precedenti vers. tum ut consensione & consilio uno dent regnum suum bestiae, &c. supra vers. 13. & 14. Ut enim hi prius excecati pependerit a nutu bestiae meretricem attollentis, sic postea dicitur fore ut resiliant discessionemque faciant ab ea, mutatis in melius animis per Dei gratiam & misericordiam.

35 Roma, ciuitas illa magna, vel sola ciuitas (ut Iustinianus vocat) cuius tum rex & caput erat Caesar, nunc vero Pontifex, postquam ratio bestiae mutata est.

#### BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Latam sententiam de isto scorto. <sup>b</sup> Coccineo colore, id est, veste rubra & purpurea: nec sane temere factum est ut hic color Romanæ curiæ placuerit. <sup>c</sup> Pueri etiam norunt quæ illa sit septicolis ciuitas tantoperè decantata, de qua Virgilius, Septemque vna sibi muro circumdedit arces: de illa videlicet quæ quum hæc scriberet Ioannes, habebat regnum super reges terræ: erat & non est, & tamen adhuc est, sed ad exitum tendit.

#### CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

2 Horrendum Babylonis excidium proponitur. 11. 16. 18 lugent negotiatores terræ, qui ex pompa & luxu ipsius ditati sunt. 20 Exsultant, verò omnes electi ex tam iusta Dei ultione.

1 **E**T posthæc vidi 2 Angelum descendentem e cælo, habentem potestatem magnam: ad eò ut & terra illuminata fuerit ipsius gloria.

2 Exclamauit autem vehementer voce magna, 3 dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna,



gna, & facta est domicilium dæmoniorum, & custodia omnis spiritus impuri, & custodia omnis volucris immundæ & exosæ:

3 Quia ex vino excandescentiæ scortationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum ea scortati sunt, & mercatores terræ opibus deliciarum eius diuites facti sunt.

4 4 Et audiui aliam vocem è cælo dicentem, 5 Exite ex ea popule mi, 6 ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.

5 Nam <sup>a</sup> accumulata peccata eius pertigerunt vsque in cælum, & recordatus est Deus scelerum eius.

6 7 Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate ei duplum secundum opera eius: in poculo quod propinauit, propinate ei duplum.

7 Quantum extulit sese & luxuriata est, tantum date ei cruciatum & luctum: quia in <sup>b</sup> corde suo dicit, Sedeo regina, <sup>c</sup> nec sum vidua, nec luctum <sup>d</sup> videbo.

8 Ideo <sup>e</sup> vna die venient eius plagæ, mors & luctus, & fames: & igne exuretur, quia validus est Dominus Deus, qui damnabit eam.

9 8 Tum flebunt eam & plangent super ea reges terræ, qui cum illa scortati & luxuriati sunt, quum viderint fumum incendii eius:

10 Procul stantes propter metum cruciatus eius, & dicentes, Vah, vah, Magna illa vrbs Babylon, vrbs illa valida, vna hora venit iudicium tuum.

11 9 Sed & mercatores terræ flebunt & lu-



110 A P O C A L Y P S E O S

gebunt super ea: quoniam merces eorum nemo emit amplius:

12 Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritarum, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thynum, & omne vas eburneum, & omne vas ex ligno pretiosissimo, & ære, & ferro, & marmore,

13 Et cinamomum, & suffitus, & vnguentum, & thus, & vinum, & oleum, & simitam, & triticum, & iumenta, & oves, & equos, & rhedas, & mancipia, & animas hominum.

14 <sup>10</sup> Et <sup>8</sup> fructus desiderati ab anima tua abierunt à te: & omnia pingua & præclara abierunt à te: nec amplius ea inuenies.

15 Harum *inquam*, rerum mercatores ab ea diuites facti, procul stabunt, propter metum cruciatus eius, flentes ac lugentes:

16 Et dicentes, Vah, vah, ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso & purpura & cocco, & deaurata erat auro & lapidibus pretiosis & margaritis! quoniam vna hora vastatæ sunt tantæ diuitiæ?

17 <sup>11</sup> Sed & omnes gubernatores, & omnis in nauibus versantium turba, & nautæ, & quotquot ex mari quæstum faciunt, longe stabunt:

18 Et clamabunt videntes fumum incendii eius, & dicent, Quæ similis erat vrbi isti magnæ?

19 Et iniecto caputibus puluere clamabunt flentes ac lugentes, & dicentes, Vah, vah, quod vrbs illa magna, in qua omnes qui habebant naues in  
ues in



ues in mari, diuites facti sunt ex ipsius opulencia, vna hora desolata est.

20<sup>12</sup> Exsulta super ea cælum, & sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam de illa<sup>h</sup> sumit pœnas Deus vestri vlciscendi causa.

21<sup>13</sup> Tum sustulit quidam Angelus robustus lapidem instar molæ magnæ, & proiecit in mare, dicens, Ita cum impetu proicietur Babylon vrbs illa magna: <sup>i</sup> nec amplius inuenietur.

22<sup>14</sup> Et vox citharædorum, & musicorum & tibia ac tuba canentium non audietur in te amplius: nec vllus artifex cuiuscunque artis inuenietur in te amplius: & sonitus molæ non audietur in te amplius:

23 Et lux lucernæ non lucebit in te amplius: & vox sponsi & sponsæ non audietur amplius in te: nam mercatores tui erant proceres terræ, & veneficiis tuis seductæ sunt omnes gentes.

24 Sed in ea<sup>15</sup> sanguis Prophetarum & sanctorum<sup>16</sup> inuentus est, & omnium qui mactati sunt in terra.

FRANC. IVNII NOTÆ,  
In Caput decimumoctauum.

*Secundus locus ( vt diximus supra in 17. 1. ) historia Babylonica, qui est de funesto casu & ruina meretricis illius Babylonie. Triplex autem est historica de ea predictio: vna, ruina illius aperta & simplex predictio, 3. versibus: secunda, figurata predictio ex adiunctis, inde*



ad vers. 20. usque: tertia, signo confirmata, ad finem usque capitis.

2 siue Christum sermonem eternum Dei Patris, ut alibi saepe: siue creatum Angelum & delegatum quempiam, sed potestatis amplitudine & gloria luce instructissimum, ut potestatis symbolo.

3 Prædictio ruinae continens tum casum Babylonis, hoc vers. tum causam illius allegoricè de spiritualibus & corporalibus maleficiis eius, id est, impietate iniusticiaeque summa enunciata, sequente vers. Casus autem illius tum simpliciter enunciat ab Angelo, tum eius gravitas hic ab euentis demonstratur, quum demoniorum, ferarum, volucrumque inauspicatarum sedes futura dicitur, ut olim Esai. 13. & alibi passim.

4 Altera prædictio, de adiunctis ruinae Babylonis. Horum autem duo sunt genera: unum, antecedens, quod antè eximuntur pij, ad vers. 9. usque: alterum, consequens ex ruina eius, videlicet luctus impiorum, & piorum exsultatio, ad vers. 20.

5 Antecedens ruinae illius imperatur duplex: unum ut pij Babylone exeant, quemadmodum olim ante eversionem Hierosolymorum factum meminimus supra in caput 12. imperatur autem istud hoc & sequente vers. alterum ut ipsi suo loco sese in exsequendis Dei iudiciis occupent singuli, ut olim Leuitis dictum Exo. 32. 27. suasque manus sanctificent ministrantes Domino, vers. 6. & duobus sequentibus.

6 Mandati cause duae: tum ut fugiatur contagium peccati, tum ut vitetur suppliciorum ex peccato communicatio.

7 Pronocatio piorum, & mandatū de exsequendis iudiciis Dei, tribus causis nititur quae hic exprimuntur:  
iniusto



iniusto maleficio meretricis Babylonice, hoc vers. impio fastu atque *αὐτιφεω*, omnium maleficiorum fonte, vers. 7. & damnatione iustissima ex sententia Dei, vers. 8.

8 Consecraria adiunctarum Babylonis, vel consequentia (ut distinximus in versum 4.) sunt duo: nempe impiorum luctus, ad vers. 19. & piorum exsultatio vers. 20. Luctus autem istius acerbissimi secundum personas lugentes distincta membra constituuntur tria: quorum primum est luctus regum potentiorumque terre duobus vers. secundum est luctus mercatorum negotiantium terra, inde ad vers. 16. tertium denique negotiantium mari, inde ad vers. 19. In singulis autem suo ordine cause luctus, & modus illius describuntur pro conditione lugentium *καὶ τὸ πρῆσις αὐτῶν*.

9 Luctus negotiantium terra, ut proximè distinximus.

10 Apostrophe mimetica ad emphasin, tanquam si mercatores illi more lugentium *πρὸς Ἰερουσαλὴμ* Babylonem appellarent, quamvis prostratam & eversam funditus. sic Esai. 12. 9. & alibi frequenter.

11 Luctus mari negotiantium formula.

12 Alterum consequens ex ruina Babylonis, piorum exsultatio in celo & terra: ut versu 9. fuit annotatum.

13 Tertia predictio (ut in versum 1. diximus) constans ex signo, & interpretatione illius. Signi autem interpretatio duobus modis conficitur: primum simplice propositione rei ipsius, hoc vers. deinde euentorum declaratione, versib. sequentibus.

14 Euentus duplex antithetos ad rei amplificationem: nulla plane, inquit, Babyloni latitia inerit, hoc &



*seq. vers. sed omnia tristia ex cruentis instorum cadibus,  
& diuina ultione propter eas accedente, vers. 24.*

*15 nimirum cade cruenta fusus, atque ultionem ex-  
petens.*

*16 id est, compertus atque deprehensus, tamquam  
instituta a Deo cognitione iusta de impietate, inhuma-  
nitate, & iniustitia illorum.*

B E Z Æ E T A L I O R V M.

*a* Vfus est verbo quo significatur peccata mutuo sese conse-  
quentia & alia nascentia ex aliis, in eum tandem cumulum ex-  
creuisse, vt ad calum vsque pertigerint. *b* Secum, siue apud se.  
*c* Sum populosa ac potens. *d* Sentiam & experiar. *e* Breui,  
& vno eodemque tempore. *f* Lecticas. fuit autem rheda Gal-  
licum vehiculi nomen, quod postea à Romanis vsurpatum, ad  
Græcos transiit. *g* Græce opora: significat autem tempus  
proximè antecedens Autumnum, quo tempore fructus mature-  
scunt, quorum etiam & nomen est opora, id est, fructus animo  
expetiti. *h* Ad verbum, iudicauit vestrum iudicium. *i* Dis-  
parebit.

C A P V T D E C I M V M N O N V M.

*I* Laudant celestes Deum, quòd vindicarit san-  
guinem suorum è manu meretricis. *9* Beati scri-  
buntur qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.  
*10* Angelus adorari se prohibet. *11* E celo summus  
ille Rex regum apparet. *19* Bellum oritur, *20* in  
quo apprehenditur Bestia, *21* & in stagnum ardens  
deicitur.

*I* **P**osthæc audiui vocem magnam turbæ  
multæ in cælo dicentis, *a* *2* Halleluia:  
salus, & honor, & gloria, & virtus Domino  
Deo nostro esto.

*2* Quia vera & iusta sunt iudicia eius, & me-  
rettricem illam magnam, quæ corrumpit terram  
scorta-



scortatione sua damnauit, & vindicauit sanguinem seruorum suorum ex manu eius.

3 Deinde secundò dixerunt, 3 Halleluia: & fumus eius ascendit in secula seculorum.

4 Et prociderunt vigintiquatuor illi Seniores, & quatuor illa animalia, & adorauerunt Deum insidentem throno, dicentes, Amen: Halleluia.

5 + Tum vox 5 è throno prodiit, dicens, Laudate Deum nostrum omnes serui eius, & qui timetis eum parui & magni.

6 Et audiui 6 tamquam sonitum turbæ multæ, & tamquam sonitum aquarum multarum, & tamquam sonitum tonitruorum vehementium, dicentium, Halleluia: quoniam regnum iniiit Dominus Deus ille noster omnipotens.

7 Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ Agni, & uxore eius 7 parauit se:

8 Et datum est ei ut amiciatur 8 bysso pura & splendida: 9 byssus enim b iustificationes sunt Sanctorum.

9 Tum 10 dixit mihi, Scribe, Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi, Hæc uerba Dei uera sunt.

10 11 Et procidi ante pedes eius ut adorerem eum: sed dixit mihi, Vide ne feceris: conseruus tuus sum & fratrum tuorum qui habent c testimonium Iesu. Deum adora: testimonium enim d Iesu est Spiritus Prophetiæ.

11 12 Deinde uidi 13 cælum apertum, & ec-



ce *adfuit* equus albus, & qui infidebat ei, vocabatur Fidelis & Verax, & qui e iuste iudicat & pugnat.

12 Oculi autem eius *erant* tamquam flamma ignis: & in capite eius diademata multa: habebatque nomen scriptum quod nemo nouit nisi ipse:

13 Et amictus erat veste tincta sanguine: vocaturque nomen eius Sermo ille Dei.

14. 14 Exercitus autem qui sunt in caelo, sequebantur eum equis albis, vestiti bysso alba & pura.

15. 15 Et ex ore eius prodibat gladius acutus, ut eo percuteret gentes: ipse enim reget eas virga ferrea: & is est qui calcabit lacum vini excandescentiae & irae Dei omnipotentis.

16. 16 Habebatque in vestimento & in femore suo nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominantium.

17. 17 Tunc vidi quemdam Angelum stantem 18 in sole, qui clamauit voce magna, dicens omnibus auibus quae volabant 19 per medium caeli, Adeste & congregamini ad caenam magni Dei,

18 Ut edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes potentum, & carnes equorum, & eorum qui ipsis insident, & carnes omnium liberorum ac seruorum, paruorum ac magnorum,

19. 20 Deinde vidi bestiam illam, & reges terrae, & exercitus eorum congregatos ad gendum



rendum bellum cum eo qui infidebat equo,  
& cum ipsius exercitu.

20 Et comprehensa est <sup>21</sup> bestia, & cum ea  
<sup>22</sup> pseudopropheta ille qui ediderat signa co-  
ram ea, quibus seduxit eos qui acceperant cha-  
racterem bestiae, & qui adorauerant imaginem  
eius: & viui coniecti sunt ambo in stagnum i-  
gnis ardens sulphure:

21 Et reliqui occisi sunt gladio eius qui infi-  
debat equo, prodeunte ex ore ipsius: & omnes  
aues saturatae sunt carnibus eorum.

FRANC. IUNII NOTAE,

In Caput decimumnonum.

1 Huius capituli duae sunt omnino partes: una μετε-  
βατικὴ sine transitiva, ad versum 10. usque: altera,  
historica victoria a Christo de bestia utraque parte, ad  
finem capituli: quam secundam esse diximus historiam  
huius argumenti, supra 17. 1. Transitionis loci duo.  
vnus laudatiuus, de ruina facta Babylonis, versibus 4.  
alter itidem laudatiuus atque propheticus, de aduentu  
Christi in regnum, & augustissimo eius coniugio cum  
Ecclesia sua, inde ad vers. 10. Prioris laudationis mem-  
bra sunt tria ex prisco usu cantantium distincta: strophæ  
sive μεσοφωνησις, duobus vers. antistropha sine an-  
tiphonia, vers. 3. & epodus sine στωδία, vers. 4. quæ  
omnia nobis hic certo consilio visum est distinguere, ne-  
quis cum Porphyrio aliisque canibus puerilem τωτο-  
λογίαν ausit Joanni & celesti Ecclesie obicere.

2 Propositio laudis hortatoria, hoc vers. & causa  
illius, sequente.



3 *Αντιφωνουμένων* cantio, habens amplificationem diuinae laudis a perpetuo iudicij illius diuini certissimoque testimonio, ut Sodoma & Gomorrha factum, Genes. 19.

4 Secundus laudationis locus, ut vers. 1. diximus: quae laudatio primū diuinitus imperatur, hoc vers. deinde a rebus creatis pronuntiatur amplissime, tum quia regnum illud exoptatissimum Christi vident aduenire, vers. 6. tum quia Ecclesiam in domum viri ducendam nuptiis sacris ad regni consortium aduocari, vers. 7. & 8. quapropter epiphonema diuina quadam obsignatione coniunctum iubetur Ioannes libro inscribere, vers. 9.

5 et templo diuinitus, sup. II. 19.

6 extra templum in caelo.

7 nempe ad sanctas illas nuptias, tum ipsa, hoc vers. tum vero a sponso instructa donationibus propter nuptias regis & diuinis, exornata, & comparata est, sequente versu.

8 ut regie dignitatis & sacerdotalis signo: qua dignitate Christus nos induit, supra 1. 6.

9 donatio est a sponso propter nuptias facta, & ornatus lectissimus quem Christus in nos confert, velut sponsam suam.

10 nimirum Angelus, ut apparet ex vers. seq.

11 Huius versus historia singularis per occasionem quamdam, ac velut *παρέργως* inseritur, ut Ioannes suam ipsius infirmitatem palam, & modestam Angeli sanctimoniam in exemplum statueret, diuinos honores abiudicantis sibi, & seruos omneis Dei ad illius unius cultum reuocantis, ut infra 22. 8.

12 Secundus locus capitis, ut diximus in vers. 1. de victoria.



victoria utriusque bestiae a Christo parata: in quo primum describitur pugnaturus Christus, ad vers. 16. tum ineunda pugna pronuntiatur, inde ad vers. 18. postremo autem victoria narratur, ad finem usque capituli. Hic autem elucet amplissima Christi, ut caelestis iudicis & vindicis nostri, attributa, secundum personam, comitatum, effecta, nominaque ipsius.

13 *Attributa persona: quod caelestis est, index, fidelis, verax, iustus, hoc vers. peruestigans omnia, omnibus imperans, nemini peruestigabilis, vers. 12. triumphator, & sermo essentialis Dei, vers. 13.*

14 *Comitatus Christi sanctus, innumerabilis, caelestis, iudicialis, regalis, purus.*

15 *Effecta Christi ad pugnam accincti, quod ore percutit gentes, regit, perditque.*

16 *Nomen Christo conveniens secundum attributa antecedentia, more Hebraico enunciatum.*

17 *Secundum membrum, ut diximus in vers. 11. sarcastica hostium ad pugnam provocatio: qua non ipsi (cur enim a Rege mundi appellentur, aut provocentur subditi? quod a decoro alienum foret) sed ipsis audientibus volucres caeli depasturae cadavera ipsorum appellantur.*

18 *id est, palam. ut Num. 25. 4. & 2. Samu. 12. 11.*

19 *id est, per hoc calum inferius, & nobis propinquius. Hebraismus.*

20 *Tertium membrum, (ut vers. 11. dictum) de victoria a Christo parata. Huc autem duo pertinent, congressus cum bestia & copiis eius, hoc vers. & eventus magnificentissimus, qui ratione humana describitur, versibus sequentibus. Perspicua omnia.*

21 *illa nimirum bestia septiceps, de qua supra 13. 1. & 17. 3.*



22 id est, bestia illa biceps, de qua supra 13. 11. videndum amplius supra in 16. 14.

## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Laudate Dominum. <sup>b</sup> Bona opera quæ sunt viua fidei testimonia. <sup>c</sup> Quibus mandatum est vt de Iesu testificentur. <sup>d</sup> Ad eum enim tanquam ad certissimum scopum feruntur omnes Prophetiæ. <sup>e</sup> exegetice additum.

## CAPVT VICESIMVM.

1 Angelus 2 Satanam vinculis constringit ad mill<sup>o</sup> annos, 8 quibus solutus, Gog & Magog. i. occultos & apertos hostes, in Sanctos concitat. 11 Sed Domini vindicta coercet illorum insolentiam. 12 Aperiantur libri, ex quibus iudicantur mortui.

1 **D**Einde vidi Angelum descendentem e cælo, habentem clauem 2 abyssi, & catenam magnam in manu sua.

2 Qui apprehendit draconem, serpentem inquam illum antiquum, qui est diabolus & Satanus, & vinxit eum 3 ad annos mille.

3 Coniecitque eum in abyssum, quam occlusit & obsignauit super eum, vt non 4 deduceret amplius gentes, donec complerentur anni mille: nam postea oportet eum solui ad 5 exiguum tempus.

4 6 Deinde vidi 7 thronos, & 7 a federunt super eos, & iudicium datum est eis: & animas 8 eorum qui securi percussi sunt propter testimonium Iesu, & propter sermonem Dei, 9 quique nõ adorarunt bestiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus suis, aut in manibus suis: viuentque & regnabunt



bunt cum Christo mille annis.

5 <sup>10</sup> Reliqui verò ex mortuis <sup>11</sup> non reuiuifcent, donec expleti fuerint illi anni mille. Hæc est resurrectio prima.

6 Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima: in hos *enim* <sup>12</sup> secunda mors non habet potestatem: sed erant sacerdotes Dei & Christi, <sup>13</sup> & regnabunt cum eo mille annis.

7 <sup>14</sup> Quum verò expleti fuerint <sup>15</sup> anni mille, soluetur Satanase carcere suo.

8 <sup>16</sup> Et exhibit vt seducat gentes quæ sunt in quatuor <sup>b</sup> angulis terræ, Gogum & Magogum, vt congreget eos in prælium: quorum numerus est sicut arena maris.

9 Ascenderunt igitur <sup>c</sup> super latitudinem terræ, & circumiuerunt castra sanctorum, & urbem illam dilectam: sed descendit <sup>17</sup> ignis à Deo e cælo, qui deuorauit eos.

10 <sup>18</sup> Et diabolus qui seducebat eos, coniectus est in stagnum ignis & sulphuris, vbi *erat* & bestia illa & ille pseudopropheta, & cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

11 <sup>19</sup> Tum vidi <sup>20</sup> thronum magnum candidum & <sup>21</sup> quemdam ei insidentem, à cuius conspectu fugit terra & cælum, quorum locus non est inuentus.

12 Et vidi mortuos paruos & magnos stantes in conspectu <sup>22</sup> Dei, & <sup>23</sup> libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est *liber* <sup>24</sup> vitæ: iudicatique sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.

H s



13 <sup>25</sup> Et reddidit mare mortuos quos habebat: Mors quoque & Infernus reddiderunt mortuos quos habebant: & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum.

14 <sup>26</sup> Infernus autem ac Mors coniecti sunt in stagnum ignis: quæ est mors secunda.

15 Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis.

FRANC. IUNII NOTÆ,

In Caput vicesimum.

1 Tertius locus iam sequitur historie prophetice, de victoria qua draconem superavit Christus, ut supra 17. 1. adnotauimus: quem locum necesse est cum historia cap. 12. sub finem coniungi, aptarique ad iustam intelligentiam ipsius. Sunt autem huius capitis partes duæ: una, de dracone victo, ad vers. 10. vsque: altera, de resurrectione iudicioque ultimo, inde ad finem. Draconis historia est duplex: una, de priore victoria, ex qua victus fuit per Christum, ad vers. 6. altera, de posteriore victoria, qua detrusus in supplicium æternum, inde ad vers. 10. Accidit autem prior historia primis Christiane illius Ecclesie temporibus, quum per Christum de celo deiectus draco recentem Ecclesie partem in terris vellet conturbare, supra 12. 17. & 18. Quapropter hanc draconis historiam monuimus cum eo loco continuari oportere.

2 id est, inferni siue tartari, quò detrusos Angelos, qui peccauerunt, Deus catenis caliginis tradiderat, damnationi seruandos, 2. Petr. 2. 4. & Iudæ 6.

3 quorum primus (continuata nempe hac historia cum fine capitis 12.) est trigessimus sextus a passione Christi.



Christi, quum Ecclesiâ Indæorum euersâ in Ecclesiam Christianam apud Gentes collectâ inuolare tentaret Satan, & de semine illius perdere, supra 12. 17. millesimus verò præcisè incidit in scelerati illius Hildebrandi tempora, qui Gregorius VII. est dictus, necromanta & magi perditissimi: quo instrumento usus est diabolus, quum e vinculis solutus esset, ut sanctos atrocissimis persecutionibus, mundum verò totum discidiis & bellis cruentissimis deinceps infestaret, ut Benno Cardinalis narrat copiosissimè. Atque hæc prior in terris parta de dracone victoria.

4 Sediuctione videlicet illa publica atque violenta, quam tentauerat supra 12. & quam post hos mille annos (proh dolor) in Christiano orbe potentissimè procurauit.

5 quo demum elapso secundum illud certamen victoriæque futura est, de quo vers. 7. & sequente.

6 Descriptio status communis Ecclesie Christi in terris eo mille annorum spatio, quibus diabolus fuit in vinculis: in qua primum auctoritas, vita, & gloria communis piorum ostenditur versu 4. secundo alius vite nouitas per Euangelium post illud spatium pronunciatur, vers. 5. postremò autem concluditur promissionibus, vers. 6.

7 Hic typus auctoritatis bonorum fideiũmque Dei seruorum in Ecclesia, humanus.

8 martyrum, qui passi sunt primis illis seculis.

9 martyrum, qui postea passi sunt quàm bestia utraque exstitit, supra 13. nam ibi exponuntur ista.

10 quicumque mortui in peccatis iacebunt, & veritatem Dei ignorabunt.

11 non renouabuntur illa nouitate vite per illustrationem Euangelij gloriæ Christi: hæc enim prima re-



*Resurrectio est, qua resurgunt anime piorum a morte sua; secundâ autem resurrectione corpora resurrectura sunt.*

12 *illa nimirum, qua corpora & anime, id est, toti homines addicuntur & traduntur eterne morti. sic supra 2. 11.*

13 *Regressio ad historiam institutam per epanalepsi in verborum qua habentur in fine versus 4.*

14 *Secunda historia, de posteriore victoria Christi, ut diximus in vers. 1. in qua summam diaboli opus, eversio, suppliciumque eternum describuntur.*

15 *de quibus supra vers. 2. tum ergo copia fiet illi ferendi in Ecclesiam Dei, & sanctos infestandi propter peccata hominum, quibus se fideles plus satis consociaverint doctrinae & vite impuritatem imbibentes.*

16 *Opus diaboli (primum membrum, quod precedente vers. distinximus) uniuersum orbem seducere ad gentes usq; extimas, armare in populum Dei, hoc vers. & Ecclesiam totis viribus circumfidere atque opprimere, sequente vers.*

17 *ira Dei consumens aduersarios, evertensq; omnis conatus ipsorum, Hebr. 10. 27. Atq; hoc secundum membrum quod vers. 7. distinximus, Satanae eversio.*

18 *Tertium membrum, supplicium eternum vitis, ut ibidem annotatum.*

19 *Secunda pars capituli: in qua iudex, hoc vers. iudiciumque ultimum, sequentibus describitur.*

20 *Solum iudiciale amplissimum, & splendidissimum: hoc enim Ἰ ΛΟῦΣ nomine etiam designant Greci.*

21 *Christum, coram quo iudicium habituro calum & terra peritura sunt à maiestate ipsius, 2. Petr. 3. 7. & 10. & sequentibus.*

22. *Christ*



22 Christi iudicis, 2. Cor. 5. 10.

23 quasi rationales nostri, id est, conscientia operumque nostrorum indices ineluctabiles: hæc dicta humanitus.

24 consilij æterni, quo Deus Pater elegit in Christo secundum beneplacitum voluntatis suæ heredes futuros vitæ. & hoc dictum humanitus.

25 Anticipatio est. Atqui sunt mortui, dixerit quispiam, quos mare, mors, sepulcrum absumsit: quomodo illi coram iudice compareant? responderet Joannes, per resurrectionem ex mortuis, cui omnia, quamuis aduersa, ex Dei mandato ministratura sunt, ut Dani. 12.

26 Vltimus hostis, mors, à Christo (nequid porro in nos tentet) abolebitur, 1. Cor. 15. 26. reprobosque in inferis depascet iudicio Dei, sequente vers.

## BEZÆ ET ALIORVM.

a Datum est siquidem illis iudicium, quatenus videlicet membra capiti sunt coniuncta: non autem quia Christi officium ad eos transfertur. b Pluris & cardinibus. c Quasi diceret, ita vt terræ superficies quantacumque est, completa fuerit.

## CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

2 Nouam Ierusalem descendentem è cælo, sponsam uxorem Agni 12 ac illius structuram describit, 19 pretiosis lapidibus ornata, cuius templum est Agnus.

**I** D E inde vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abierat: & mare non amplius exstabat.

2 Et ego Iohannes vidi sanctam illam ciuitatem Hierusalem nouam, descendentem à Deo è cælo, paratam, vt sponsam ornata viro suo.



3 3 Et audiui vocem magnam è caelo dicentem, Ecce tabernaculum Dei *est* cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi, populi eius erunt, & ipse Deus cum eis erit, Deus ipsorum.

4 Et abstersurus est Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors amplius non exstabit: neque luctus, neque clamor, neque labor exstabit amplius: quia præcedentia abierunt.

5 4 Et dixit is qui insidebat throno, Ecce, noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe: nam hæc verba vera sunt & fidelia.

6 Et dixit mihi, <sup>s</sup>Fuerunt: ego sum  $\alpha$  &  $\omega$ , initium & finis. Ego sitienti dabo ex fonte aquæ viuæ, gratis.

7 Victor, hereditario iure obtinebit omnia: & ero ei Deus, & ipse erit mihi Filius.

8 Timidis autem & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololattris, & omnibus mendacibus a portio *assignata* est in stagno vbi ardet ignis & sulphur, quod est mors secunda.

9 6 Tum venit ad me vnus ex septem illis Angelis qui habuerant septem illas phialas plenas septem plagis vltimis: & loquutus est mecum, dicens, Veni, ostendam tibi sponsam vxorem Agni.

10 Et sustulit me per spiritum in 7 montem magnum & sublimem, & ostendit mihi <sup>s</sup> ciuitatem illam magnam, sanctam, *inquam*, illam Hierusalem, e caelo descendentem à Deo:

11 Haben-



11 Habentem gloriam Dei: & cuius lumen *erat* simile lapidi pretiosissimo, tamquam lapidi iaspidi instar crystallo splendenti.

12 <sup>9</sup> Habebat præterea murum magnum & sublimem, habentem portas <sup>10</sup> duodecim, & in portis <sup>11</sup> Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.

13 Ab Oriente *erant* portæ tres: ab Aquilone, portæ tres: ab Austro, portæ tres: ab Occafu, portæ tres.

14 Et murus vrbs habebat <sup>12</sup> fundamenta duodecim, in quibus *erant* duodecim nomina Apostolorum Agni.

15 <sup>13</sup> Porro is qui loquebatur mecum, habebat calamum aureum, vt metiretur ciuitatem, & portas eius & murum eius.

16 <sup>14</sup> Vrbs ipsa verò <sup>b</sup> quadrangularis sita est, cuius longitudo tanta est quanta & latitudo, mensusque est ciuitatem illo calamo, ad stadiorum duodecim millia: sũntque longitudo & latitudo & altitudo eius æquales.

17 Et mensus est murum eius, <sup>c</sup> centum quadragintaquatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est <sup>d</sup> Angeli.

18 <sup>15</sup> Erat autem structura muri eius ex iaspide: ipsa verò ciuitas aurum purum, & similis vitro puro.

19 Et fundamenta muri vrbs omni lapide pretioso ornata. fundamentum primum *erat* iaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonium: quartum, smaragdus:



20 Quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolithus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.

21 Duodecim autem portæ, duodecim margaritæ sunt, & singulæ portæ ex singulis margaritis sunt: & e forum ciuitatis, aurum purum, tamquam vitrum perlucidum.

22 Nec templum vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est, & Agnus.

23 <sup>16</sup> Neque ciuitas ista eget sole vel luna, ut luceant in ea: nam gloria Dei illustrat eam, & lucerna eius est Agnus.

24 Et gentes quæ seruatae fuerint ambulabunt ad lucem eius: & reges terræ gloriam suam & honorem ad eam adferent.

25 Nec portæ eius cludentur interdium: nox enim non erit illic.

26 Et adferetur gloria & honor Gentium ad eam.

27 Non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur: sed qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

FRANC. I V N I I N O T Æ,

In Caput vicesimum primum.

1. *Nunc sequitur hystoria propheticæ pars secunda, ut diximus in caput 1. & 11. 1. de statu futuro Ecclesiæ celestis post iudicium ultimum, usque ad vers. 5. captis seq. Duo autem summam exponuntur, statio sine sedes*



Sedes & locus illius, vers. 1. deinde status, sequentib. Ant<sup>o</sup> statum ergo Ecclesie, status vniuersitatis exponitur: cælum fore nouum, terramque nouam, vt Esai. 65. & 66. & 2. Petr. 3. atque hæc sedes vel locus Ecclesie, in quo iustitia habitat.

2 Status Ecclesie illius gloriose describitur generalit<sup>r</sup> ad vers. 8. vsque; deinde speciatim & minutatim, sequentib. Generalis descriptio posita est tum in viso emin<sup>u</sup>s oblato, vers. 2. tum in sermonibus e celo nunciatis. In genere communia sunt hæc: quod Ecclesia sancta est, noua, Dei opus, celestis, ornatissima, sponsa Christi, & consors gloriæ illius, hoc vers.

3 Ecclesia illa sermone describitur tum Angeli, duob<sup>u</sup> & tum Dei ipsius, versib. 4. Angeli sermo gloriæ describit Ecclesie, ex Dei cohabitatione presentissima, ex bonorum omnium communicatione secundum fedus, hoc vers. & ex depulsione malorum omnium, vers. seq.

4 In sermone Dei Ecclesiam describente primū exordium quoddam ponitur, vers. 5. tum subiicitur Ecclesie descriptio magnifica à presentibus & futuris bonis illius, trib. sequentibus. Exordio autem restitutionem illam vniuersitatis Deus sibi arrogat, de qua vers. 1. & Ioannis vocationem his perscribendis testatam facit, hoc vers.

5 Ecclesie descriptio fit tribus modis: rerum veterum antiquatione: presentium in Deo, id est, aternarum subsistentia: & bonorum omnium cum bonis communicatione, vers. 6. si modo certauerint, vers. 7. ex ea verò reprobi excluduntur, 8. vers.

6 Transitio ad singularem descriptionem celestis Ecclesie, singulari vocatione Ioannis, hoc vers. & raptu eius per spiritū, veritatem diuinam confirmante & seq.



7 locum sedemque Ecclesie celsissimam, monte ad-  
umbratam.

8 typum Ecclesie illius, quæ est una, magna siue ca-  
tholica, sancta, celestis, a Deo condita, hoc vers. glorio-  
sa, seq. vers. Hic verò typus communiter propositus,  
deinceps particulatim exponitur vers. 12. & sequentib.

9 Singularis descriptio (ut diximus in vers. 2.) cæ-  
lestis Ecclesie: primum secundum partes essentielles ipsius,  
sub typo civitatis, ad vers. 22. secundo ab exteris acci-  
dentibus, ad finem cap. tertio ab effectis, principio ca-  
pitis seq. Partes essentielles ponuntur materia & forma,  
in toto opere: ex eis integrales (ut vocant) superficies  
muri, & fundamentum: quæ partes primum  $\kappa\upsilon\ \tau\upsilon\ \pi\epsilon\omega$   
ad vers. 14. post accuratius describuntur.

10 de numero tribuum, de quibus supra 7. nam hic  
superficies veteri Testamento, fundamentum Novo  
tribuitur.

11 Prophetas, internuncios Dei, & custodes Ec-  
clesie.

12 id est, lapides fundamenti secundum portas, ut  
demonstratur ex vers. 19.

13 Transitio ad accuratiorum descriptionem par-  
tium Ecclesie, dimensione earum per mensuram explorata.

14 Mensura, & forma æquissima, duobus vers.

15 Materia pretiosissima & splendidissima, quam  
gloriosissimam efficit presentia Dei.

16 Secundus descriptionis singularis modus, ut dixi-  
mus in vers. 12. ab accidentibus exteris. Sunt autem  
hæc: lux a Deo, hoc vers. gloria ab hominibus, vers. 24.  
summa securitas, vers. 25. denique ea gloria veritas &  
incorruptio, vers. 26. quæ nihil inglorium in se perferre  
possit, vers. ultimo.

BEZÆ



## BEZÆ ET ALIORVM.

<sup>a</sup> Sors & tanquam hæreditas, Heb. <sup>b</sup> Quadrati figura est æqualium laterum & angulorum rectorum: vocant autem Greci tetragonon, firmum, constans & omnibus numeris absolutum. <sup>c</sup> Multiplicatio numeri duodecim in seipsum. <sup>d</sup> Hoc addidi, quia Angelus hominis speciem referebat. <sup>e</sup> Sic vocat vrbis locum magis patentem.

## CAPVT VICESIMVM SECYNDVM.

1. Ostenditur aqua viua fluius, 2. & arbor vitæ.  
6. 8. Sequitur propheta huius conclusio, 8 in qua Iohannes ostendit verissima esse quæ hic continentur.  
13 & iam tertio repetit. dictata hæc omnia ab eo esse, qui est  $\alpha$  &  $\omega$ .

1 **D**Einde ostēdit mihi purum fluium aquæ viuæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem ex throno Dei & Agni.

2 In medio autem foro eius, & ex vtraq; parte fluminis, erat arbor vitæ ferens fructus duodecim, per menses singulos edens fructum suū & folia sua ad sanitatem Gentium.

3 Nec vllum aduersus quemquam anathema erit amplius: sed sedes Dei & Agni in ea erit, & serui eius seruient ei.

4 Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus ipsorum erit.

5 Et nox illic non erit, neque opus est eis lumine lucernæ, neque lumine solis: quoniam Dominus Deus illustrat eos: & regnabunt in secula seculorum.

6 <sup>2</sup> Tum dixit mihi, Hæc verba fida sunt & vera: & Dominus Deus ille sanctorum Prophetarum misit Angelum suum vt indicet seruis



fuis quæ oportet fieri citò.

7 Ecce venio citò: beatus qui obseruat verba Prophetiæ libri huius.

8 Ego verò Iohannes *is sum* qui hæc audiui & vidi. Et quum audissem & vidissem, procidi vt adorarem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendebat.

9 *Is* verò dixit mihi, Vide ne *feceris*: conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui obseruant verba libri huius. Deum adora.

10 <sup>3</sup> Deinde dixit mihi, <sup>4</sup> Ne obsignaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope est.

11 <sup>5</sup> Qui nocet, noceat adhuc: & qui fordus est, lordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.

12 <sup>6</sup> Et ecce venio citò: & merces mea mecum est vt reddam vnicuiq; prout opus ipsius erit.

13 Ego sum *α & ω*, principium & finis, primus & vltimus.

14 Beati qui præstant eius mandata: <sup>7</sup> vt sit eis ius in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in ciuitatem.

15 Foris autem *erunt* canes, & venefici, & scortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quisquis amat ac committit mendacium.

16 <sup>8</sup> Ego Iesus misi Angelum meum, vt hæc vobis testificaretur in Ecclesiis. Ego sum stirps & progenies illa Dauidis, stella illa splendida & matutina.

17 Et Spiritus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit,



audit, dicat, Veni. & qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

18 9 Enimvero vnà testor cuiuis audiēti verba Prophetiæ libri huius: si quis adiecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas scriptas in libro isto:

19 Et si quis abstulerit *aliquid* ex verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius e libro vitæ, & ex vrbe illa sancta, & ex iis quæ scripta sunt in libro isto.

20 10 Dicit qui testatur ista: etiam, venio citò. Amen. Veni igitur Domine Iesu.

21 11 Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

## FRANC. IVNII NOTÆ,

## In Caput vicesimum secundum.

1. *Hic absoluitur descriptio Ecclesiæ celestis (ut supra 21.12 docuimus) ab effectis, versib. 5. tum vero liber concluditur, reliquo cap. Effecta a Deo, qui in Ecclesia habitat, proficiscentia sunt hæc: perennis Dei gratia, hoc vers. æternus piorum victus, ut supra 2. 7. fructus æternus, quem piy Deo, sibi, aliisque proferunt, vers. 2. immunitas ab omni malo, conquiescente Deo in seruis suis, & his vicissim in Deo suo, vers. 3. contemplatio Dei: piorum obsignatio in æternitatem, vers. 4. lux Dei & regnum gloriaque æterna, vers. 5.*

2. *Concluditur hic liber totus confirmatione, & saluatione. Confirmationis loci sunt tres: sermo Angeli, ad vers. 15. sermo Christi, vers. 16. & 17. & obtestatio facta a Ioanne diuinitus, inde ad vers. 20. Sermonem Angeli prophetia hæc confirmatur, ad vers. 8. vsque, tum vero de usu libri instituit dicere, sequentib. Prophetiam con-*



firmat Angelus primum a natura illius, quod fides & vera sit: secundo a natura efficientis cause, tum principalis, nimirum Dei, tum instrumentalis, Angeli, hoc vers. tertio a diuinis promissionibus de aduentu ipsius ad hac omnia prestanda, & de salute nostra, vers. 7. quarto a Joannis ipsius testificatione, 8. vers. Reliquum vero sermonem eodem pertinentem interrumpit Ioannes suo actu imprudente adorationis, eodem vers. quo prohibito, Angelus ipsum docet non sibi adorationem (se enim ea natura & officio esse, ut non sit adorandus) sed Deo soli tribuendam: ut & sup. 19. 10. factum legimus.

3 Regressio ad Sermonem institutum: qua docet Angelus usum huius libri, tum apud nos, hoc & sequente vers. tum erga Deum in demonstranda veritate eius, inde ad vers. 15.

4 id est, omnibus palam prophetiam hanc proponito, nec dissimulato illius quicquam. contrarium precipitur Esai. 8. 16. & Dani. 8. 26.

5 Occupatio, At erunt qui occasione hac ad malum abutantur, & hanc Scripturam detorqueant suo ipsorum exitio, ut ait Petrus. Quid tum? inquit Angelus: non sunt propterea obtegenda mysteria Dei, qua placuit communicare. Noceant sane aliis: sordescant in se magis ac magis, quibus hac Scriptura minime arriserit: at alij ad iustitiam & sanctimoniam amplius informabuntur. Horum autem cura & informatio non est negligenda, propter voluntariam & malitiosam offensam istorum.

6 Alter locus ad usum libri pertinens, ut diximus in vers. 10. Tum etiam (inquit Deus per Angelum) ut nullus inter homines usus libri exstet, hic tamen usus mihi futurus est, quod veritatis mee testis est ad gloriam

rana



riam meam: qui brevi aduenturus, iustum iudicium  
facturus & exsequutus sum, hoc v. qui haec omnia in  
me docui subsistere, v. 13. & beatitatem seruis meis in  
Ecclesia, v. 14. reprobationem impiis denunciavi, v. 15.

7 Piorum beatitas in iure, & fructu posita.

8 Secundus confirmationis locus (ut in v. 6. dixi-  
mus) sermo Christi, confirmans vocationem Ioannis,  
auctoritatemque vocationis & testimonij illius, tum a  
conditione personae suae  $\text{Ἰεωυ} \text{Ἰ} \text{ρ} \omega \text{π} \text{ρ} \text{ς}$ , in qua omnes Dei  
promissiones sunt etiam & amen, 2. Cor. 1. 20. tum ab  
aliarum personarum testificatione: Spiritus sancti, ve-  
lut paranymphi: Ecclesiae, velut sponsae: singulorum pio-  
rum, velut membrorum, acclamatione: tum denique  
a re praesente, quod scientes volentesque ad participa-  
tionem bonorum Dei prouocantur, v. 17.

9 Obtestatio Ioannis (tertius confirmationis locus,  
ut annotatum in v. 6.) execratione coniuncta, ad veri-  
tatem libri integram conseruandam, duobus v.

10 Obtestationis diuina confirmatio vel obsignatio:  
primum a Christo eam asserente, & iis qui sacrilegam  
manum admouerint denunciante aduentum suum:  
tū a Ioanne voto sanctissimo (Christū vindicē appellante.

11 Salutatio Apostolica, alter conclusionis locus, ut  
diximus in v. 6. omnium serē Epistolarum clausula:  
quam Ecclesiae, & piis omnibus illius membris, adeoque  
electis exoptamus in Domino Iesu Christo usq; in aduentū  
ipsius. *Veni Domine Iesu, & fac. Amen, iterū Amen.*

Soli Deo honor & gloria.

Errata sic restituito.

Pag. 1. vers. 1. lege significauit. pag. 21. v. 11. lege participemus. pag.  
88. v. 1. lege mandata. pag. 48. in argum. lege tradit. pag. 65. v. 5. de-  
le notas () pag. 69. v. 23. lege suis. pag. 70. v. 8. lege mactati. pag. 76.  
v. 25. lege c. omnes. c. spiritus s. pag. 96. v. 18. post sui pone punctum. pag.  
102. v. 6. lege poculo. pag. 120. lege nec acceperunt.



171. XXXVII

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.













42<sup>3</sup>  
42<sup>1</sup> 72


(A 220474)

55










B.I.G.

Farbkarte #13



S. IOANNIS  
APOSTOLI ET  
EVANGELISTÆ,

*METHODICA ANALYSI AR-  
gumentorum, notisque breuibus ad rerum intelli-  
gentiam & Catholicæ ac Christianæ Ecclesiæ hi-  
storiam pertinentibus illustrata*

Per  
FRANCISCVM IVNIUM BITVRIGEM,  
S. Theologiæ D. ac Professore in Academia  
Heidelbergensi.



HEIDELBERGÆ,  
1737

4. 2.

